



Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Tractatus de Merito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)



TRACTATUS DE MERITO.

1. **N**omen hoc *meritum*, utope à verbo *merito*, vel *mereor* deductum, tam in bonum, quam in malum ex primæva sua institutione usurpatum. Quapropter, sicut opera nostra libera, & honesta dicuntur meritoria præmij, ita opera nostra libera prava dicuntur meritoria supplicij. Sic Job. 6. *Utinam apprehenderentur peccata mea, quibus iram merui.* Et ad Hæb. 10. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit.* Ex usu tamen Theologo-

rum, ut notavit Exim. Doct. in prælud. num. 4. meritum simpliciter dictum, solum sumatur jam in bonam partem pro merito premij, meritum autem supplicij jam non dicuntur absolutè meritum, sed demeritum; aliud est naturale, quod viribus naturæ elicitor, aliud vero supernum, quod solum elici potest viribus gratiæ, de qua agimus in præsenti; quomo- do autem distinguatur à laudabilitate, lati- tatione, satispatione, & imperatione disp. & quenti constabit.

DISPUTATIO I. DE EXISTENTIA, ESSENTIA ET DIVISI- ONE MERITI.

2. **C**ertum est apud Catholicos contra Lutherum, Calvinum, aliosque Hæreticos, dari verè, & propriè meritum hominis apud Deum. Sic Eccles. 16. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum;* sic etiam in alijs locis dicitur, correspondere bonis operibus mercedem, retributionem, & coronam, ut Math. 10. *Gaudete, & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis.* Araus. 2. Can. 8. *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia præcedit, ut fiant;* id ipsum definire Concilium Carthag. & Florentin. & exp̄s̄e Trident. contra Lutherum, Calvin. fess. 6. cap. 16. & Can. 32. Testantur id ipsum Pontifices, Pa- tres, & Theologi. Suadetur etiam ratione, quia Respublica Christiana à Deo prudentissimè est ordinata, & gubernata; sed in omni Re- publica bene ordinata proponuntur pœnæ dignæ metu, quibus homines à malis arceantur, & pœmia, quorum spe eliciantur ad bonum; ergo &c.

SECTIO I.

Quid sit meritum Theologicum?

3. **A**skero cum communi Theologorum. Meritum Theologicum, de quo agimus in præsenti, sic definitur: Obsequium Deo factum ex se dignum retributione doni supernaturæ. Ex quo duplē ordinem includit meritum, de quo agimus; primum ad Deum; secundum ad præmium supernum, per quod distinguitur à merito naturali apud Deum, quod

ex se non est dignum retributione doni supernaturæ. Probatur facile conclus. quia meritum, de quo agimus, tale est, quale à Scripturis, & Conciliis nobis proponitur; sed à Scripturis, & Conciliis proponitur, quale à nobis definitur, ut ex num. sup. ergo &c. Confirmatur 1. Meritum utope superiori factum, est obsequium, quapropter meritum naturæ factū Regi, est obsequium Regi factū ex se dignum retributione doni naturalis; ergo meritum supernum factū Deo, est obsequium Deo factū ex se dignum retributione doni supernaturæ. 2. quia in præsenti definitum meritum supernum erga Deum; sed hujusmodi meritum nullus aptiori modo explicari potest, nisi ut à nobis definitur; ergo &c.

Objiciunt Hæretici; nullum est meritum à hominis erga Deum; ergo male à nobis definitur. Probarunt ant. In Scriptura dicitur, gratiam non esse ex operibus; ergo. Confirm. In Scriptura dicimus servi inutiles, etiam possquam fecerimus omnia, quæ nobis pracepta sunt; ergo &c. Confirmatur 2. Si admittantur merita nostra, fit injuria meritis Christi; singularis enim excellētia Christi Dei est, quod ipse solus apud Deum meruit; ergo &c. Resp. nego ant. ad probacionem nego consequentiam. In Scriptura dicitur, primam gratiam non esse ex operibus naturalibus, que non sunt meritoria doni superni; cum hoc autem recte stat, secundam gratiam esse præmium, quod conferrur propter opera superna facta ex prima gratia. Ad primam confirmat nego consequentiam; quia verè dicimus servi inuti-

inutiles ex eo, quod Deus ex nostris obsequiis nullam recipiat utilitatem, vel quia non possumus ex ipsis nostris viribus absque gratia Dei elicere. Ad secundam confirmat. neg. ant. quia major excellentia Christi Domini est, quod meruerit nobis gratiam, qua etiam nos apud Deum mereri possumus; sicut major excellentia est, quod nos per Christum gloriam obtineamus, quam quod solus Christus gloriam obtineat. Sic etiam nihil detrahitur Deo, quod creatura habeat a Deo virtutem adagendum, eò quod sit Deus causa universalis, nos vero particularis. Eodem prorsus modo Christus voluit esse causa universalis, voluitque, quod nos essemus causa particularis ad merendum, quare meruit nobis sufficientiam, ut cum illa, si velimus, possumus obtinere efficaciam. Vide alia apud Suarez lib. 12. de merit. c. 1.

5. Objicies 2. Opus honestum ab homine libere elicium cum ignorantia invincibili Dei est meritum; sed non est obsequium Deo factum: obsequium eum fieri nequit ignoto; ergo &c. Resp. 1. neg. suppositum: adulterus enim sui compos non potest habere ignorantiam Dei invincibilem. Respondent alij 2. nego anteced. quia, ut opus ab homine elicium sit obsequium Deo factum, sufficit esse moraliter bonum, & conforme naturae rationali ut tali, cuius Deus caput est, quin opus sit, ut fieri cognitio Dei ut talis; ceterum, ut ait Augustinus in psalm. 34. *Quidquid egeris, bene age, & landasti Deum;* quae solutio roborari potest, quia illud opus utope conforme naturae rationali, cuius Deus caput est, & saltem interpretative, & moraliter obsequium Deo factum, & ut actus sit Theologicus, sat est, ut plures docent, quod respiciant universaliter, & interpretative Deum; sed de his alibi latius, ubi hunc discurrendi modum impugnabimus.

6. Objic. 3. Possibilis est actus supernus meritorius, cui essentialiter repugnat collatio premij, ac proinde, qui ex se non moveat Deum ad collationem doni superni; ergo &c. Probat. ant. Si Deus revelaret Petro, si nolle illum actum supernum praemire, & Petrus hoc crederet, talis actus fidei elicitus a Petro esset supernus, & meritorius; sed essentialiter illi repugnaret collatio doni superni, ut per se patet; ergo &c. Resp. neg. ant. ad probationem dico, Deum non posse revelare, se non praemiarum illum actum supernum comple-
9. gendo tam actum fidei; quia ex eo, quod talis actus fidei maneret in eo casu essentialiter irremunerabilis, esset supernaturalis, ut supponimus, simulque non esset, cum de es-
sencia actus supernaturalis sit, intrinseca con-
ducientia ad vitam aeternam, quam conduce-
tiam ille actus fidei non haberet; unde esset
nugatoria illa divina revelatio obligans a-
licendum actum essentialiter irremunerabilem,
qui simul ex essentia sua esset remunerabilis.

Respondent alij 2. cum Oviedo, actum fidei, 7. utpote actum intellectus non esse liberum, ac proinde nec meritorium; quare solus est meritorius actus voluntatis imperans actum fidei; quia actus voluntatis, cum non conne-
ctatur essentialiter cum tali actu fidei, potest esse absque illo, ac proinde actus meritorius, & supernus potest conjungi cum collatione premij. At ista secunda solutio multum dis-
plicer, & est quam plurimis absurdis obno-
via. Ex dictis

Fit 1. Meritum distingui a laudabilitate morali, quia ad laudabilitatem operis sufficit, quod actus naturae rationalis ut talis confor-
mis sit agenti suo impurabilis, quamvis non sit obsequium; ut patet in actibus divinis, qui sunt moraliter laudabiles, & non sunt obsequium, cum nullus sit superior Deo, cui Deus praestare possit obsequium; ad meritum vero praeter laudabilitatem requiritur etiam, quod sit obsequium. Fit 2. Distingui etiam meritum a satisfactione, quia satisfactione essentialiter respicit debitum abolendum; meritum vero non respicit essentialiter debitum, sed prae-
mium; si autem actus umerumque respiciat, erit simul meritum, & satisfactione. Fit 3. Meritum distingui a satispassione, quia satispassio non res-
picit actum voluntarium patientis, neque li-
bertatem, sed sufficit, quod reus velit, nolit, patiatur penam a judice taxatam. Ad meri-
tum vero requiritur morus liber voluntatis; imo assignari potest status ad satispassionem, qui non sit status ad meritum; ut patet in animabus purgatoriis.

Fit 4. Distingui meritum ab imprecatio-
ne, quia imprecatio stricte sumpta est humilis quae-
dam, & expressa petitio facta Superiori, cum contestatione potestatis, & manifestatione indigentiae, pro qua sit petitio, quod solum con-
venit orationi; meritum vero praeter orationem
pluribus actibus convenit, cum eriam, quia sta-
tus ad orationem sufficiens, non est sufficiens
ad merendum, ut patet in Beatis. Si vero im-
precatio sit lata, sit in eo, quod opus seorsim
ab expressa petitione sit moraliter honestum,
& obsequiolum potens ex se moveare divinam
misericordiam, ad sublevandam nostram indi-
gentiam, quod omne stare potest, quin opus
elicitus sit meritum saltem in actu secundo,
ut patet in Beatis. Unde, licet omne meri-
tum sit imprecatio lata, omnis imprecatio la-
ta non est meritum.

Fit 5. Prædictas omnes perfectiones posse cum eodem actu superno conjungi, & in quo-
vis actu meritorio ferè omnes reperi-
ri, v. g. in actu misericordiae elicito in homine iulio.
Talis enim actus, ut rationi conformis, est ho-
nestus; ut liberè elicitus, est moraliter lauda-
bilis; ut dignus retributione, est meritorius;
ut oblatus pro culpa commissa, est satisfactio;
ut poenæ solutio, satispassio, & ut interpretati-
va quedam humilis deprecatio, movens divi-
nam misericordiam, est imprecatio.

S E C T I O II.

De divisione meriti in condignum, & congruum.

10. Supp. 1. ex infra dicendis, meritum condignum esse concretum morale constitutum ex operatione honesta superna, & dignitate subiecti apud Deum geometricè saltem sumpti; sicut concretum virtutum est concretum morale constitutum ex objecto, & visione. Sicut enim paries virtutis non unitur physicè, sed moraliter cum visione, ideoque non dicitur concretum physicum, sed morale. Ita opera honesta non uniuntur physicè, sed moraliter cum gratia habituali, quæ in hac providentia est dignitas omnibus justis communis ex parte subiecti constitutiva meriti de condigno. Suppono 2. meritum de congruo stare posse in solo actu superno honesto. Quapropter peccator nequit per sua opera de condigno mereri gratiam, aut gloriam.

11. Suppono 3. duplicem excogitari posse æqualitatem inter meritum & præmium. Primum consistentem in æqualitate rei ad rem seorsim à circumstantiis extrinsecis; secundam geometricam consistentem in merito, circumstantiis comparatis cum præmio; meritum enim, quod seorsim ab aliquibus circumstantiis non est æquale præmio simul cum circumstantiis extrinsecis reddi potest æquale. Sic meritum, quod sufficiet remunerat à domino privato, non compensatur sufficienter eadem remuneratione à Rege potentissimo, praesertim in circumstantia nativitatis principij, vel insignis victoriae. Suppono 4. cum communi contra Ripald. meritum condignum non stare in eō, quod seorsim à conformatione cum natura rationali, ut rationali, quæ communis est merito congruo, cedat insuper in comodum, & honorem extrinsecum Dei. Ratio est, quia actus religionis cedit magis in comodum, & honorem extrinsecum Dei, quam actus dilectionis; sed non est magis meritorius; ergo. Secundò, quia actus fidei, & spei à peccatore eliciti cedunt in comodum & honorem extrinsecum Dei; sed non sunt de condigno meritorii; ergo &c. Quapropter

11. Affero cum communi Theologorum, merita justi attentis omnibus circumstantiis sunt moraliter æqualia præmio. Probat. 1. Merita justi de facto remunerantur à Deo præmiò gratiæ, & gloriæ; atqui attentis omnibus circumstantiis sunt moraliter æqualia præmio gloriae, & gratiæ; ergo &c. Probat. maj. merita justi præter operationem supernam honestam condignificatam extrinsecè à gratia includunt ipsam gratiam; ac proinde meritum justi, quia includit gratiam, habet æqualitatem cum gratia in præmium accepta; deinde operatio extrinsecè à gratia condignificata atten-

tis hominis obsequentis circumstantiis, & maiestate Dei præmiantis, dicit æqualitatem moralis cum præmio gloriæ, cum ipsa gratia dignificans exigit subiecto capaci gloriam, & elevat opera superna, ut ipsa gloria jure remunerentur &c. ergo.

Probatur 2. Homo justus ratione sancti statis habet jus ad hæreditatem Dei, ut constat à num. 118. de gratia sanctificantes, deinde, cum per sua opera superna crescat in gratia, & sanctitate, crescit in jure ad gloriam, ergo meritū justi prout includit opus bonum ex se condignificativum à gratia, & ipsa gratia, non solum dicit moralē æqualitatem cum gratia, sed etiam cum gloria. Confirm. Ad moralē æqualitatem sufficit, & requiritur fundamentum ad judicium prudens, quo unum æquale alteri reputetur; sed meritum justi ex operatione supernaturali honesta, & gratia habituali constitutum sufficiens fundamentum est ad reputandum illud prudenter æquale cum præmio gratiæ, & gloriæ; ergo &c. min. pater, quia tale meritum, ut pote, cludens non solum operationem, sed etiam gratiam, habet arithmeticam proportionem cum præmio gratiæ; deinde, cum gratia ut pote semet gloriæ, exigit gloriam, meritum sufficiens ad arithmeticam proportionem cum præmio gratiæ sufficiens est ad prudentem æqualitatem cum præmio gloriæ; ergo &c.

Probat. 3. Licet ad meritum condignum non sola gratia sufficiat, neque sola operatio honesta, sed operatio supernaturalis honesta, sive ex speciali Spiritu Sancti afflentia, & adjutorio elicita, & gratia sanctificans, ratione cuius operatio superna est elicita à filio Dei, & hærede gloriæ; attamen considerata fragilitate hominis obsequentis, quantumvis per gratiæ in statu filij Dei constitutis, & maiestate Dei præmiantis, prudenter judicatur æqualiter correspondere præmium superum gloriæ, sive hæreditatis Patri præmiantis merita superna filij obsequentiis; nulla etenim assignari potest ratio, cur hoc sufficiens fundamentum non sit ad ita prudenter judicandum, in quo sensu D. Thomas in secunda dist. 27. quæst. 1. art. 3. dixit: *Non autem magis est Deo, vitam eternam tribuere, quam nobis actionem virtutis tribuere*; sed in hoc stat, quod meritum condignum habeat æqualitatem moralē cum præmio gratiæ, & gloriæ; ergo &c. Confirmatur, & explicatur nostra tota doctrina exemplò apud Theologos usitato facit: cum enim olim valde placuisse Alexandro carmen à Poeta compositum, eiique in præmio carminis plurimum pecunia largitus fuisset. Resp. Poeta: nimirum hoc erit Poeta; at vero Alexander: Alexander non est nimium. Ex quo sic formatur argumentum. Licet carmen compositum non esset æquale secundum se illi præmio, attamen attenta difficultate elicendi ingeniosum carmen, necessitate elicentis, & maiestate præmiantis, prudenter re- repa-

- putatum fuit tale meritum æquale cum tali præmio; ergo, licet opus supernum non sit secundum se æquale cum præmio gratiæ, & gloriæ, attentis circumstantiis, nempe bonitate filij elicitis ejus necessitate, & majestate Dei præmiantis prudenter reputabitur tale meritum æquale cum tali præmio.
16. Quæres, an hæc æqualitas moralis meriti condigni cum præmio dicenda sit arithmeticæ, vel geometricæ. Respondent communiter Recentiores, eam æqualitatem non esse arithmeticam, sed solum geometricam; quia non est æqualitas rei ad rem, sed pendet à circumstantiis merentis, & præmiantis; alij verò ingeniosi Recentiores ex Arriaga judicant, eam æqualitatem esse arithmeticam. Ratio est, quia præscindendo à circumstantiis extrinsecis manet æqualitas inter meritum justi, & præmium; meritum enim justi est obsequium supernum filij, & amici Dei, amicus autem & filius nihil aliud connaturaliter, & juxta arithmeticam proportionem mereri potest per obsequia superna, quæ parentis & amici conspectu superno frui, licet ille conspectus vehementer afferrat voluptatem; ergo &c. Confirmatur: justi pro priori ad obsequia supponuntur jam admissi ob gratiam ad conspectum illum; ergo obsequia facile possunt ejus majorem claritatem arithmeticam promereri, neque enim est tam difficile amicum in amicicitia crescere, quæ eam de novo inchoare.

17. Video resolutinoē plurimū cōtinere divinationis & parum utilitatis, quod enim ex Script. Concil. PP. & Theol. inferre possumus, solum est, dari merita condigna, cū autem ad condignitatem sufficiat prop̄io cum præmio, siue arithmeticæ, siue geometricæ, non est, ex quo inferre possimus, inter merita justi, & præmium majorem proportionem, quæ geometricam. Scio Durandum in secund. dīct. 17. quæst. 2. negâsse merita condigna: ceterum, quia ibi solum loquitur de condignitate strictæ justitiae, non autem de proportione saltem geometricæ, non negat merita condigna, quæ Theologi omnes tenentur admittere, ea enim negare, non video, quomodo possit à temeritate exculari: temerarium enim est, omnium Theologorum sententiam in re gravi respuere absque fundamento gravi. Secundò, quia passim in Scripturis Concil. & PP. appellatur gloria merces, & corona justitiae, quod verificari non potest, si opera justi proportionem saltem geometricam non haberent cum præmio gloriæ. Ex dīctis

18. Fit 1. contra Sor. I. 2. de nat. & grat. c. 4. admittendum esse meritum congruum: ratio est 1. quia plura sunt merita, quæ adhuc p̄satis omnibus circumstantiis non jugicantur æqualia prudenter gratiæ, & gloriæ. Sic peccator per actus supernos virtutum metetur remissionem peccati; sed illi actus, ut propter inimici Dei, non habent æqualitatem cum præmio adhuc in prudentium estimatione, er-

go non habent proportionem adhuc geometricam, ac proinde non sunt meritoria de condigno, sed solum de congruo. 2. quia ita sentiant omnes Theologi. 3. quia fundamentum Sotii, nimirum, quod in August. & alius talis vox non reperitur, nullum est; nato etiæ vox non reperitur, reperitur tamen significatum per talem vocem: August. enim teste Arriaga dīct. 57 sct. 1. docet, fidem esse meritoriam justificationis; sed tale meritum non est condignum, cū ante gratiam non detur meritum condignum; ergo est meritum congruum.

Fit 2. Meritum congruum magnam habere latitudinem secundum majorem, vel minorem differentiam cum æqualitate geometrica cum præmio, vel juxta qualitatem ipsi præmii: si enim meritum congruum respiciat ut præmium remissionem offensæ, minùs requirit, quæ si respiciat, ut præmium dona conferenda ab eo, cui fit obsequium; ratio est, quia, licet remissio sit magis bona in se, quæ alia dona, nihilominus ille, qui remittit ex vi præcile remissionis, nullum jus confert remissio in bona remittentis; ex vi enim remissionis minor resistentia datur ex parte remittentis, cū minùs conferat de suis bonis, quæ ex vi elargitionis donorum divinorum; ac proinde, licet sit in se magis bona remissio, quæ bona sint alia dona remittentis, poterit dari meritum congruum ad remissionem, quod quidem non sit meritum congruum alia ad dona.

Sic ignis p̄tens introducere mollitiem, ut quatuor in cera, non poterit introducere duos gradus in adstante, ratione majoris resistentiae, quæ in passo reperitur. Sic etiam Petrus per aliqua obsequia potest mereri de congruo remissionem offensæ à Rege, quin mereatur de congruo elevationem ad statum equestrem, licet status equestris non sit in se tam bonus, quæ bona sit remissio offensæ regiae; hæc autem non militant in merito de condigno, quia, cū meritum de condigno requirat æqualitatem saltem geometricam cum præmio, non solum atenditur ad resistentiam ex parte passi, sed etiam ad resistentiam ex parte merentis; quapropter mirum non est, quod ab omnibus Theologis supponitur, posse peccatorem de congruo mereri remissionem peccati, quin de congruo mereatur gratiam omnium hominum, & Angelorum, quamvis pejus sit peccatum, quæ bona sit gratia omnium hominum, & Angelorum. Sic etiam pura creatura potest de congruo mereari remissionem peccati, quamvis non potest de congruo mereri divinam maternitatem, ut dictum de perfectionibus Christi.

Fit 2. Ad meritum de congruo requiri aliquam congruentiam cum præmio juxta iudicium prudentum, quamvis non requiratur æqualitas geometrica; sic certum est apud Theologos, non posse puram creaturam mereri

ri de congruo Unionem Hypostaticam, quia nulla congruentia prudenter excogitari potest inter meritū purā creaturā, & tale p̄cēmū; congruentia autem inferenda est, vel ex auctoritate, vel ex ratione, vel ex paritate inter alia p̄cēmā & merita, quae congrua cōmūniter reputantur, vel ex utroque simul; imd exinde inferimus, cur possit homo de congruo mereri remissionem peccati, quod est magis malū; quām de congruo mereatur gratiam omnīū hominū, & Angelorū, aut divinam maternitatem, quod est minus; quia nimirū ex paritate ab humanis prudenter judicatur congruentia dari, ut remittatur peccatum illi, qui suos per actus supernos se disponit, quantum potest ad remissionem, quin prudenter judicetur congruentia, ut ei conferatur gratia omnium hominū, & Angelorū, divina maternitas, aut aliud minus donum supernum. Sic in humanis, qui disponit, quantum potest, prudenter judicatur mereri de congruo remissionem offensae Regiae, quin judicetur prudenter mereri de congruo omnes gratias, quae alias conferuntur à Rege, vel paternitate, vel maternitate alterius Regis.

22. Objic. 1 ex Paulo Rom. 8. dicente: *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis;* ergo opera justi non sunt de condigno meritaria gloriae. Resp. neg. conseq. primò, quia, ut plures judicant, D. Paulus in eo testimonio non negat aequalitatem geometricam, sed ad summum arithmeticam. Secundò, quia non loquitur de operibus ex gratia condignificatis, sed solum de illis nude sumptis, in quo sensu verum est, opera nostra nullam habere aequalitatem cum p̄cēmō gloriae; at vero prout simul cum gratia, à qua condignificantur, proportionem habent saltē geometricam; eodem modo explicanda sunt alia Scripturæ, & SS. PP. testimonia, nostris operibus dignitatem negantia.

23. Instabis. Merita nostra, à gratia quantumvis condignificata, non sunt infinita; p̄cēmū verò, cūm sit ipse Deus fruendus per visionem, & visio in aeternum duratura est infinitum, sed finitum, & infinitum non habent aequalitatem adhuc geometricam; ergo &c. Respondent aliqui 1. transeat maj. neg. min. quia, sicut obsequens potest mereri p̄cēmū, quamvis p̄cēmians sit infinitè excellētior; ita potest habere meritum proportionem geometricam cum p̄cēmō, quamvis p̄cēmū sit infinitè excellētius, dummodo prudenter judicari possit, tantum offerri obsequēndō, quantum confertur p̄cēmādō, ratio est, quia stante tanta inaequalitate inter personas ad aequalitatem geometricam inter meritum, & p̄cēmū attendendum est ad magnitudinem p̄cēmātis, & ad alias jam indicatas circumstantias: quapropter, si p̄cēmians est infinitè excellētior, quid mirum, si p̄cēmū solum geometricè aequalē sit, & infinitè excellētius

us. Resp. ipse 2, neg. secundam partem majoris; quia, licet obtinendus, & fruendus sit infinitus, fruitio autem non est infinita, sed finita, major nempe, aut minor secundum majorem, vel minorem proportionem meritorum, etiam aeternitas visionis non est cathegoretica, sed syncathegotematica; quam infinitatem habent etiam merita virtualiter perseverantia in gratia ab ipsis obtenta, quae gloria exigit per durationem aeternam.

Objic. 2. Peccatum lethale est arithmeticè aequalē cum pena aeterna, licet acerbitas doloris superet delectationem peccati; ergo, licet fruitio gloriae superet laborem obsequij, & meriti, meritum etiam erit arithmeticè aequalē cum p̄cēmō gloriae. Confirmatur. Si meritum condignum non deberet esse arithmeticè aequalē p̄cēmō, nulla assignari posset regula ad dignoscendum meritum condignum; ergo &c. Retorquo argumentum. Peccatum solis viribus natura elicium ex se ipso est seorsim ab indignitate extrinseca peccati aequalē supplicio; ergo meritum solis natura viribus elicium, & seorsim ab extrinseca dignitate merentis erit ex se ipso aequalē p̄cēmō. Resp. deinde neg. consequiam, quia peccatum in esse offensum crescit ex maiori dignitate offensis; meritum vero in esse obsequij decrescit ex majore dignitate illius, qui fit obsequium; ut pater in humanis, ac proinde nulla est inter utrumque paritas, ut latè dicerit in Tract. de Incarnat.

Unde obsequium merebitur majus p̄cēmū, non quidem, quia majus obsequium ex maiori dignitate personæ, cui fit, sed quia persona est magis remunerativa, quod magis digna, ita tamen, ut juxta prudentium judicium non cescat tantum magnitudo p̄cēmij, quantum magnitudo supplicij, ut pater in humanis, licet enim p̄cēmū à Rege juxta aequalitatem conferendum majus sit, quam conferendum à plebejo; attramen ratione majoris non crescit tantum dignitas p̄cēmij ratione obsequij, quantum dignitas supplicij ratione offensis, utpote crescentis ex majore dignitate offensi. Dignitas vero p̄cēmij non crescit ex dignitate majoris obsequij sumpta à maiori dignitate ejus, cui fit obsequium; cum obsequium in esse obsequij decrescat ex maiori dignitate personæ, cui fit, sed solum crescit ex præcisā dignitate personæ; unde manifestè constat, non crescere tantum dignitatem p̄cēmij, quantum crescit dignitas supplicij. Hinc.

Ad confirmationem dīst. ant. regula arithmeticā, transmitto; geometricā, neg. ant. & conseq. ut constat ex dīctis. Sic in humanis merces in his circumstantiis estimatur plus, quam in aliis, non ex regula arithmeticā, sed geometricā, & prudenti judicij juxta divitatem circumstantiarum; deinde transmitto totum argumentum, nos enim non negamus aequalitatem arithmeticā inter meritum, & p̄cēmū

præmium, sed solum dicimus, habere plurimum divinationis, asserere, eam esse arithmeticam, vel geometricam, ideoque vocamus illam æqualitatem moralem. Imò æqualitas moralis pensatis omnibus circumstantiis quoad Deum eas intimè cognoscentem, dici potest arithmeticè æqualis præmio. Deus enim optimè scit, quanti valoris in re sit meritum simul cum illis circumstantiis; quamvis præmet supra condignum ex communi prologo, de quo vide Ovied. tom. 56. à n. 82. Unde meritum arithmeticum strictè sumptum distinguitur à merito geometrico, quia illud independenter ab extrinsecis circumstantiis haber arithmeticam proportionem, secus autem geometricum.

S E C T I O III.

De divisione meriti in remunerandum, & solutivum.

clarè demonstrat toto §. 2 ferè omnes Autores, quos pro sua sententia adducere conabatur P. Usoni ipsi nullatenus favere: nam illi Autores loquuntur de præmio anticipatè collato ex scientia visionis meriti pro sua differentia temporis absolute prævisi; quapropter, licet vocibus solutionis, & spei utantur, illi sententia nullatenus favent; resolutio tota quanta pender à vera intelligentia hujus vocis meritum.

Affero cum secunda sententia. Non est possibile meritum solutivum. Probarur 1. Meritum ex natura meriti habet, afferre merenti jus five latum, sive strictum ad compensationem; sed meritum solutivum non afferre tale jus ad compensationem; ergo non est possibile meritum solutivum. Consequentia tenet, minor patet, quia meritum solutivum est solutio doni antea accepti, ac proinde non afferret jus ad compensationem, sed esset compensatio, & retributio pro dono accepto. Major probatur. Meritum in ratione meriti habet, obligare illum, cui exhibetur meritum; si enim Petrus hæreditatem Pauli colat, quia Paulus ei ex hoc fine pecunia summam donavit, non dicitur mereri apud Paulum, sed compensare pecuniam ipsi à Paulo erogatam, ex eo, quod per laborem suum non acquirat jus erga Paulum. Si autem Petrus hæreditatem Pauli colat, ut Paulus ei mercedem retribuat, tunc per suas operas, cùm Paulum five latè, sive strictè obliget ad compensandum, meritum operæ, tunc merebitur; atqui meritum ex natura meriti obligare illum, cui exhibetur, est afferre merenti jus five latum, sive strictum, ut compensetur ab illo, cui exhibetur; ergo &c.

Confirmatur 1. Voces, cùm ex natura sua non significant, sed ex voluntate hominum, accipiendæ sunt juxta sensum ab hominibus impositum; si enim unicuique liceret pro libitu sensum alium vocibus tribuere, nulla veritas, etiam dogmatica firma maneret, ut optimè notavit Oviedus in præsenti num. 62. atqui hæc vox *meritum* juxta sensum illi ab hominibus impositum solum significat obsequium, nomine cuius merens jus ad præmium acquirit, ut compensetur ab eo, cui obsequium exhibetur, ut constat in exemplo patito num. superiori; ergo &c. 2. Isteæ voces *meritum*, & *demeritum* ex impositione hominum habent significata opposita; atqui demeritum non dicitur, nisi quando ratione illius demerens cedit juri, quod habebat, ne ex eo titulo puniretur; si enim aliquis non excedens moderamen justæ vindictæ offendentem percutiat, non demeretur, demeretur tamen, si absque justo titulo illum percutiat ob rationem à nobis datam; ergo meritum non dicitur, nisi quando ratione illius merens acquirit jus, quod non habebat, ut ex eo titulo præmitur.

Probatur 2. Si meritum ex natura sua non esset

82. Prima sententia affirmat, posse esse meritum solutivum. Ita P. Anton. Uson apud Ovied. Didacus Pera apud Ortegam contendenter, hunc præ illo fuisse ejusmodi meriti inventorem. Subscribunt Coninch 22. disp. 8. de merit. dub. 7. Wading. pluresque alij gravissimi Recentiores, tum Tolitanæ, tum Aragoniæ Provinciæ. Secunda sententia negat; ita communiter Autores, quos citant, & sequuntur Ortega, & Ovied. loc. suprà cit. Ripald. disp. 86. sect. 7. num. 61. Aldrete disp. 31. de Incarnat. sect. 3. Imò Oviedus

R. P. Gormaz Thloeg. Tom. I.

esse, quale à nobis explicatur, nulla esset ratio Conciliorum, & SS. PP. probans primam gratiam esse à Deo nobis misericorditer collatam, & non ex meritis nostris; ergo &c. Probatur ant. ex illo ad Thim. 1. *Misericordiam consecutus, ut sim fidelis; & ad Ephes.* 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutio-* nem, ut effemus sanitati. Inferunt Concil. & PP. apud Oviedum, non fuisse collatam nobis gratiam ex meritis, & sanctitatem nostra, sed ex liberali, & gratuito beneficio Dei; atqui, si sanctitas, & meritum subsequens primam gratiam posset esse meritum gratiae antea ut præmium collatæ, ratio illa nulla est; ergo &c. min. patet, quia per merita subsequentia possemus mereri gratiam præcedentem, ac proinde datur illa gratia nobis ex nostris meritis, & non omnino liberaliter; ergo &c.

Respondebis, Concilia, & PP. solum intendit hoc discursu probare, merita subsequentia in prævisione ab soluta præmium non posse esse merita remuneranda: procedebant enim contra eos, qui primam gratiam præcedere affirmabant nulla mentione facta hujusmodi meriti recompensativi. Contrà tamen Semipelagiani, contra quos Concilia, & PP. arguebant, affirmabant, gratiam dari ex meritis, quin affirmarent potius ex hujus, quā ex alterius speciei meritis conferretur, etiā ad suam sententiam defendendam ad merita sub condicione prævisa configuerint: Concilia verò, & PP. intendebant probare, gratiam non dari ex meritis; ergo merita solum conditionatè prævisa non possunt esse propriè merita, aliter ratio Conciliorum, & PP. inefficax esset, cum ad talia merita Semipelagiani possunt recurrere; atqui, si possibile esset meritum solutivum, posset conferri præmium ex meritis non quidem absolutè, sed solum conditionatè prævisa; ergo &c.

Probatur 3. Repugnat meritum, quod ex se non moveat ad retributionem; atqui meritum ex solutivum ex se non movet ad retributionem; ergo &c. Consequentia tenet, & min. patet, quia meritum solutivum ex se solum esset ad compensandum donum accepturn, ac proinde nullæ ei correspondentis retributio: maj. prob. quotiescumque in Script. Concil. & PP. fit mentio de meritis, solum vocantur merita illa, quibus correspondet in præmiū retributio; ergo repugnat meritum, quod ex se non moveret ad retributionem. Alter Script. Concil. & PP. diminutè processissent in re tam ardua. Probatur ant. 2. ad Corinth. 6. dicitur *eandem habentes remunerationem.* Ad Hæbr. 10. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, que magna habet remunerationem.* Psalm. 18. *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi Dominus.* Ecclesiast. 12. *Be-nefac iusto, & invenies retributionem.* Idem habetur in pluribus aliis testimonij, in quibus significatur per jus acquisitum à nobis per nostra merita, nos mereri gloriam. Sic Isa.

55. *Qui non habetis argentum, properate, & comedite venite & emite abique argen-* to. & passim alibi. ergo &c.

Confirmatur 1. Non minus convenienter omnes antiqui Theologi in eo, quod meritum debeat esse obsequium, quā in eo, quod debeat movere ad retributionem, atqui ratio obsequij essentialis est omni merito; ergo etiam ratio movendi ad retributionem. 2. Si ad meritum non requireretur, quod moveretur ad retributionem, sed sufficeret obsequiosa compensatio, ut intendunt Adversarij, codem jure possit aliquis dicere in omni emptione, & venditione dari meritum & præmium, quāvis non detur obsequium; sed hoc dici non potest; ergo &c. Confirmatur 3. Ex eo, requiritur ad meritum ratio obsequij, quia meritum, ut nobis, à Scripturis notum, tale proponitur; atqui etiam proponitur ut moveretur ad retributionem; ergo &c. Confirmatur 4. Si præcisè obsequiosa compensatio sufficiens esset ad meritum, malè intulisset S. Paulus, *Jacob non ex operibus, sed ex vocante fuisse electum, quoniam ita decretum fuit, antequam quidquam egisset:* potuisset enim fuisse electus propter illius opera sub conditione prævia, quibus postea ab solutè existentibus compensatio merito vocationem promoveretur; ergo &c.

Probatur 4. Præmium ut præmium essentialiter, est retributio, & remuneratio, non autem anticipata obligatio ad aliquid efficientum; atqui, si posset dari meritum solutivum, præmium ut præmium non esset retributio, & remuneratio, sed anticipata obligatio; ergo &c. Probatur maj. Quando unus premiatur à Deo, & non alter, reddenda est ratio specialis ex parte premiati, quin exinde configiatur ad voluntatem Dei; sed illa ratio ad signari non potest, si præmium essentialiter non est retributio meritorum, quæ absolute videntur elicita ab uno, & non ab altero; ergo &c. Probatur min. Licet Deus videntur per scientiam medium, Petrum, & Paulum, licituros esse plura obsequia, si ponantur in talibus circumstantiis, potest apud Adversarios præmio non remunerativo premiare Petrum, & non Paulum; sed tunc nulla alignari potest specialis ratio ex parte premiati Petri, nisi unicè configiendum ad voluntatem Dei; ergo &c. Probatur min. quia tunc non potest alignari hæc ratio, quod Petrus mereretur, & Paulus non mereretur: sicut enim merita solum conditionatè sufficientia non sunt ad movendum Deum, ut præmium conferat Paulo, ita sufficientia non sunt ad movendum Deum, ut præmium conferat Petru; ergo &c. Confirmatur. Præmium propositum, ut ipso natura lumine videtur meritum, ex natura præmiū moveret ad laudabiliter operandum, ut sic ab operante obtineatur; atqui non ita moveret, si possibile esset meritum solutivum; ergo &c.

Objic. 1. Potest Deus conferre Petro donum, quia videt Petrum cum tali dono eli-

citum opus, quo solvat donum acceptum; sed tunc illud opus, esset meritum solutivum; ergo possibile est meritum solutivum: majorat primò, quia nulla apparet repugnatio in modo conferendi tale donum. Secundò. Quia mercator sèpè dat merces pro pretio non actu soluto, sed postea solvendo; ergo idem sùd modò poterit Deus: min. probat. quia, cùm meritum ut sic sit obsequium ex se movens ad collationem doni, & illud opus, quo Petrus postea solveret, ex se moveret ad collationem doni, tale opus esset meritum; atque non aliud, nisi solutivum; ergo &c. Tertiò. Plures sunt difficultates in Tract. de Incarnat. quæ vix explicari possunt, nisi cum merito solutivo, v. g. quomodo Christus meruerit auxilia Virgini Matri, & progenitoribus, quibus ipi postea Incarnationem saltem quoad circumstantias promererentur; ergo admissendum est meritum solutivum. Confirmatur. Rex prævidens, aut sperans, quodsi der equum, & arma militi, reportabit victoriā, posset militi dare in præmium, equum, & arma, propter meritum victoriae speratae, quam miles solveret pro dono accepto; ergo idem sùd modò poterit Deus; atque tale meritum esset solutivum; ergo &c.

37. Respondeo ad primum conc. maj. & nego min. ad probationem dist. suppositum maj. movens ad collationem remunerativā præcisè conc. anticipatam, neg. Unde tale obsequium, cùm in se non esset meritum, neque esset meritum solutivum; denique, cùm nomine *meriti*, ut ex Script. Concil. & PP. Theologis, & ratione nobis constat ex dictis, non significatur, nisi obsequium ex se movens ad remunerationem, non minùs essentialiter convenit merito movere ad remunerationem, quā esse obsequium. Quapropter, sicuti opus postea elicitorum, quo solvit donum anticipatè collatum non est meritum, si in se non est obsequium; sic etiam non erit meritum, si ex se non moveret ad remunerationem. Hinc ad secundum nego antecedens, quia ad explicandas tales difficultates opus non est merito solutivo, etenim absque merito solutivo

explicabimus illas in Tracta. de Incarnat. & explicant omnes antiqui Theologi, antequam in Scholis audiretur nomen meriti solutivi; quare, cùm tale opus, quod ab Adversariis dicitur meritum solutivum, in re meritum non sit, & aliunde constat, Christum eas as gratias verè meruisse, explicari debet difficultas absque recursu ad talia opera; ad talia enim opera recurrere potius videretur difficultati succumbere, quā veritatem declarare.

Ad confirmationem neg. ant. illud enim 38. exemplum solum est pura petitio principij: præmium enim, ut ex num. 35. est retributio, & remuneratio. Si ergo equus, & arma in casu ab Adversariis assignato, neque esset retributio, neque remuneratio, sed præcisè donum obligans ad speratam compensationem, quomodo erit præmium? vide Ovied. loc. suprà cit. num. 60. Itaque, si Rex traderet equum, & arma, ut miles pugnaret, & victoriā obtineret, non collato ei dominio equi, & armorum obtentā victoriā posset labore militis remunerari dandò illi dominium in equum, & arma, ac proinde absolute victoriā prævisā, tunc tale dominium esset, remuneratio & præmium.

At verò, si antequam miles victoriā obtinetur, & antequam victoria absolute prævideatur, jam Rex contulit militi Dominium in equum, & arma, cùm tale donum tunc non esset remuneratio, neque esset præmium. Quapropter D. Thomas quæst. 39. de veritat. a. 6. dixit, meritum non cauare per modum causæ finalis, sed per modum causæ efficiens, id est, non darur præmium, ut sit meritum, sed quia est; aliter, licet collato eo dono à Rege miles victoriā non obtineret, cùm jam esset Dominus armorum, & equi, quæ collata ei fuerunt ut præmium, haberet præmiata merita, quæ in se præmari non possunt; ex quo sit, non posse meritum dividī in remunerandum, & solutivum, cùm solum possibile sit meritum remunerandum, & nullatenus sit possibile meritum solutivum.

DISPUTATIO II.

QUÆNAM REQUIRANTUR AD MERITUM EX PARTE OPERANTIS?

40. C^{on}trum est jam apud Theologos, ad meritum requiri libertatem non solum à coactione, sed etiam à necessitate: constat ex Innocentio X. damnante ut hereticam tertiam Jansanij propositionem, quæ ita habebat. *Ad meritum, & demeritum in statu nature lapsi non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Hanc damnationem confirmavit Alexander VII. ut frenatærogantiam aliquorum finistre interpreta. R. P. Gormaz. Theolog. Tom. I.

tantum Bullam Innoc. ratio est, quia, cùm mereti, vel demereti adveniat accidentaliter, requirit laudabilitatem accidentalem; nemo autem ita meretur laudem propter sua opera, nisi sit liber ad ea non elicienda. Quamobrem Ecclesiast. 31. dicitur: *Qui potuit transgredi, & non est transgressor, facere mala, & non fecit;* ideo stabilita sunt bona illius in Domino. Vide plura Script. & SS. PP. testimonia apud Bellarm. I. 5. de justifi-

S 88 2

justifi-

justificat. c. 10. Unde, si daret Deus alicui gloriam propter opera elicita absque libertare, gloria non esset premium, neque opera illius meritum, ut falsò judicarunt aliqui Nominales citati à Vasquez disp. 214. c. 1. Neque sufficit ad meritum beatitudinis naturalis spontaneitas, si non datur libertas à necessitate, ut falsò judicat Bonaspedis disputat. 5. dub. 5. resolut. 5. Tanta enim requiritur libertas, & laudabilitas naturalis ad meritum naturale, quanta requiritur libertas, & laudabilitas superna ad meritum supernum.

S E C T I O I.

Quoniam libertas à necessitate requiriatur ad meritum?

41. Suppono cum omnibus Theologis, libertatem à necessitate, sive libertatem indifferentiam ad utrumque triplicem esse, nimirum perfectissimam, perfectam, & imperfectam, seu semiplenam; libertas perfectissima, seu plenissima datur, quando intellectus ad verum indifferenter constitutus repräsentat bonitatem, vel malitiam objecti penetrando omnes circumstantias illud comitantes. Plena, & perfecta datur, quando repräsentat bonitatem, & malitiam objecti, sed non penetrando omnes circumstantias illud comitantes. Imperfetta, & semiplena datur, quando solum repräsentat, & leviter considerat bonitatem, & malitiam objecti: tunc enim, cum voluntas non sit ad utrumque plenè expedita, &c., si in malum feratur, venialiter solum peccat, quamvis materia sit aliunde prohibita. Nunc

42. Afferro 1. cum omnibus ferè Theologis contra Herich. apud Ripaldam disp. 74. num. 5. non sufficit ad meritum libertas existimata. Probat. 1. Ad meritum requiritur vera libertas, ut ex num. 40. atqui libertas existimata non est vera libertas; ergo non sufficit ad meritum. 2. Ad meritum non sufficit supernaturalitas, vel dignitas existimata; ergo neque existimata libertas. Respondebis, libertatem existimatam sufficientem esse ad meritum, quandoquidem sufficiens est ad peccatum, ut patet casu, quo quis omittit actum præceptum erroneè, & invincibiliter existimans, se habere paratum concursum ex parte Dei ad illud sufficiendum; sicut ergo homo tunc peccaret, ita etiam mereretur eliciens actum charitatis erroneè, & invincibiliter existimans, se habere libertatem ad omnitem. Contrà tamen. Si homo ille in re non posset elicere actum præceptum, non esset dignus virtutem, quamvis illum non eliceret, ac proinde omittendò illum, non peccaret; ergo patiter, si homo non posset omittere actum charitatis, non esset dignus laude, quamvis illum eliceret, ac proinde nullatenus mereretur. Contra secundò ex supra dictis.

Objic. tamen. Ad meritum sufficit bonitas existimata. Retorqueo argumentum. Sufficit bonitas existimata; ergo sufficit dignitas, & supernaturalitas existimata. Resp. deinde neg. conseq. quia objectum voluntatis non est bonum utsinque, sed ut cognitum; voluntas enim est potentia cæca, indigens cognitione objecti ad attingendum objectum. Quapropter, ut rectè agat, sufficit, quod complectatur objectum prudenter existimatum ut bonum; libertas vero, sicut & dignitas non se habent ex parte objecti, sed ex parte principij, & ut voluntas cum principio operetur, non sufficit, quod falsò existimat, se habere principium, si illud in re non habeat. Principium enim in re non existens, in re physique operari non potest, ac proinde, licet sufficiat bonitas existimata, non sufficit existimata libertas. Imò, licet ea, que se habent ex parte objecti, ut voluntas ea amplectatur, debent cognoscij voluntas meritorie operetur, non requiritur, quod cognoscatur ea, que se habent ex parte principij. Sic Petrus, quavis non cognoscatur se esse in gratia, si in re est, merebitur eliciens liberè actum supernum.

Afferro 2. cum omnibus Theologis. Non requiritur ad meritum perfectissima, & plenissima libertas, sed sufficit libertas plena, & perfecta. Probarur facile. Libertas sufficiens, ut opus elicitor liberè impetratur agenti suo perfectè, & absolutor ad laudem, vel vituperium, sufficiens est etiam ad meritum; atqui ad tam laudem, vel vituperium sufficit plena, & perfecta libertas, quin requiratur perfectissima; ergo &c. Probarur min. Laus, & vituperium, & obligatio, quæ oruntur ex votis, juramento, & contractibus impetrantur agenti suo; sed in eis regulariter solum datur libertas perfecta, perfectissima vero solum raro intercedit; ergo &c. Confirmatur 2. Si non sufficeret libertas perfecta, raro, aut ferè numquam homines mererentur, cum libertas perfectissima non nisi raro contingat; ergo &c. Confirmatur 2. Peccato lethali sufficit libertas perfecta; ergo etiam merito.

Afferro 3. cum communi. Ad meritum sive condignum, sive congruum gratia, & gloria essentialis non sufficit imperfecta, seu semiplena libertas. Probatur prima pars de merito condigno. Actus pravus cum semiplena libertate elicitus neque est peccatum mortale, neque dignum æterna damnatione; ergo & actus bonus cum semiplena libertate elicitus non erit meritorius de condigno gloria æternæ. Conseq. tener, quia non minus requiriatur ad meritum de condigno, quam ad lethale peccatum. Probatur jam secunda pars de merito congruo. Nam Trident. exigere videtur eandem libertatem ad conversionem, quam ad averzionem à Deo; nam fess. 6. Cap. 5. dixit: *ut, qui per peccata à Deo averterantur; eidem gratia liberè affendiendi disponantur*; atqui homo non se avertit à Deo per libertatem.

bertatem imperfectam; ergo neque se convertit; sed si ad meritum congruum sufficeret libertas imperfecta, & semiplena, posset cum hac libertate se convertere ad Deum, si tunc eliceret contritionem, quæ est meritum congruum justificationis; ergo &c. Confirmatur. Quia in his, in quibus non habemus certum pro aliqua parte fundamentum, standum est meliori, & veriori sensu Tridentini, & communiori Theologorum intelligentiæ; ergo &c. Ex dictis

46. Inferes cum Ripalda disp. 74. num. 14. Cacherano c. 6. num. 48. & pluribus Recensionibus contra Ovied. tom. 2. part. 1. num. 6. ad merendum de condigno apud Deum præmium supernaturale tempore sufficere imperfectam, & semiplenam libertatem; ratio est, quia peccatum, quod eset lethale, si cum plena advertentia fieret, & mereretur de condigno peccatum temporalem, si cum semiplena libertate fiat, ergo dilectio perfecta, quæ si fieret cum plena libertate ab homine justo, de condigno eset meritoria gloriæ æternæ, si eliciatur cum semiplena libertate, erit de condigno meritoria præmij temporalis; ex quo, sicut imperfecta libertas in actu pravo fiat ad subtrahendum auxilium gratiæ in hac vita, & ad peccatum temporale infligendum in alia. Ita in actu bono perfectæ dilectionis imperfecta libertas sufficiet ad promerendum gratiæ auxilium in hac vita, & accidentale gloriam in alia.

47. Objic. 1. ex Ripald. contra tertiam afferationem. Actus imperfectè liber est meritorius gratiæ, & gloriæ, si imperfecta libertas proveniat ex habitu, & consuetudine bene operandi; ergo &c. Probatur ant. 1. Alter bona consuetudo eset in detrimentum; ergo &c. 2. Juramenta elicita cum imperfecta libertate orta ex nimia consuetudine jurandi sunt peccatum mortale; ergo actus honesti à justo eliciti cum imperfecta libertate orta ex consuetudine bene operandi erunt meritorij de condigno gratiæ, & gloriæ essentialis. Resp. neg. ant. ad primam probacionem nego ant. quia ea consuetudo jam deservit ad eliciendum facile plures actus perfectè liberos. Unde, si talis homo eos non eliciat, sibi imputet. Ad secundam nego ant. Talia enim juramenta non sunt lethale ob defectum perfectæ libertatis, ut docent apud Ovied. gravissimi Theologi cum Exim. Doct. & P Sanchez.

48. Objic. 2. ex Ovied. Nulla est ratio, cur de potentia absoluta actus honestus imperfectè quomodounque liber non possit ordinari tanquam meritum congruum ad præmium gratiæ, & gloriæ essentialis; ergo &c. Probatur ant. Ad meritum congruum non requiriunt æqualitas, sed sufficiat moralis aliqua proporcio cum præmio, sed talis actus talem videtur habere proportionem cum præmio gloriæ, & gratiæ essentialis; ergo &c. Resp. cum

communi nego ant. Ad probat. nego ant. nam, ut congruenter inferretur ex Tridentino cit. num. 45. Semipelagiana libertas, non sufficit ad conversionem ad Deum; si autem sufficeret ad meritum congruum, etiam sufficeret ad talem conversionem, imo & ad meritum condignum gloriæ; cum communiter supponant Theologi, non requiri majorem libertatem in justo ad meritum condignum, quam in peccatore ad congruum; tum etiam, quia, sicut homo in prudentum judicio non potest puniri ex merito poenâ æternâ propter actum cum semipelagiana libertate elicatum, ita in congruè remuneraretur gloriæ æternâ propter actum cum Semipelagiana libertate elicatum.

Objic. 3. Princeps potest pro libito suo valorem monetae aureæ, vel argenteæ augere, ergo etiam Deus pro libito suo poterit operis honesti valorem augere, ac proinde efficere, quod actus cum Semipelagiana libertate elicitus sit meritorius de condigno. Retorquo argumentum. Princeps potest pro libito suo dare tantum valorem corio, quantum haber aureus; ergo etiam Deus poterit pro libito suo dare tantum valorem actui naturali, quantum haber actus sumpus. Resp. deinde dicit ant. valorem extrinsecum, conc. intrinsecum, neg. ant. & conseq. Unde, sicut Rex pro mero suo libitu non potest augere aurum, licet possit augere valorem extrinsecum auri, ita Deus non potest pro mero suo libitu augere intrinsecum valorem operis, licet extrinsecum valorem possit augere. Quapropter non potest efficere, quod actus imperfectè liber sit de condigno, aut de congruo meritorius, quia meritum de condigno, & congruo importat ex suis intrinsecis perfectam impenitabilitatem; ut constat ex dictis, quæ per extrinsecum valorem haberi non potest. Vide aliam solutionem apud Arriagam disp. 3. sect. 1. num. 5. & disp. 54. sect. 1. num. 6.

S E C T I O II.

An libertas ad actus omnino æquales cum necessitate ad alterutrum sufficiat ad meritum?

NON queritur de præsenti, an libertas disjunctiva ad unum è duobus actibus determinatis, quorum unus perfectior est alio, sufficiat ad meritum, si perfectior actus elicitur; hæc enim quæstio spectat ad Tractat. de charit. ubi partem affirmativam probabo; sed solum queritur, utrum libertas ad unum è duobus actibus determinatis omnino æquilibus, sive ejusdem, sive diversæ speciei, sufficiat ad meritum, vel saltem sufficiat libertas ad actu honestum, cum necessitate ad unum constitutum in serie habente alios, & alios in infinitum intensiores, & alios & alios in infinitum remissiores.

Prima sententia docet, sufficiere ad meritum libertatem ad unum, duntaxat ex secundis determina-

terminatis actibus omnino aequalibus, sive ejusdem speciei. Ita Granadus, Meratius, & alij, quos citat, & sequitur Ortega de Incarnat. controv. 6. disp. 1. quæst. 3. Secunda sententia docet, non sufficere talem libertatem ad actus omnino aequales similes, sive ejusdem speciei; bene verò ad actus omnino aequales dissimiles, sive diversæ speciei. Ita Quiros, & alij Recentiores apud Herreram de voluntat. Dei quæst. 4. sect. 1. Tertia sententia est, quæ defendit, talem libertatem ad actus omnino aequales, sive ejusdem, sive diversæ speciei non sufficere ad meritum. ita Ripald. Ovied. Arriag. Lugo, & communiter Theolog. Quarta sententia defendit, neque sufficere libertatem ad unum ex infinitis intensioribus, & remissioribus, sed requiri in tali causa libertatem ad carentem omni laudabilitate accidentalē. Ita Herrera cit. sect. 6.

52. Affero 1. contra primam sententiam. Libertas tantum ad unum è duobus actibus omnino aequalibus, & solo numero distinctis non est sufficiens ad meritum. Probat. 1. Ad meritum requiritur laudabilitas moralis; sed talis libertas non sufficit ad laudabilitatem moralis; ergo neque ad meritum: maj. patet, quia eodem modo, quo homo est liber, est laudabilis, ac proinde, si est laudabilis moraliter, est moraliter liber: min. Probat. Libertas moralis versati debet inter extrema moraliter distincta; sed actus solo numero distincti in moralis aestimatione sunt idem; unus enim non habet maiorem aestimabilitatem, quam alias; sed actus, qui in aestimatione morali sunt idem, non distinguuntur moraliter; ergo &c.

53. Confirmatur. Voluntas determinata ad unum è duobus actibus omnino aequalibus, & solo numero distinctis, non potest non elicer eandem aestimabilitatem moralis, sive illum actum eligat, ac proinde non potest omittire aestimabilitatem moralis, quam elicit; sed voluntas non potens omittire aestimabilitatem moralis, quam elicit per operis sui eliciuntiam, non meretur; ergo &c. Dices. Aestimabilitati moralis ius liber actus superaddi libertatem, qua elicitur; cùm quilibet ex illis actibus posset omitti; ac proinde aestimabilitas moralis illius actus simul cum tali libertate sufficit ad meritum. Contrà tamen. Libertas illa non est ad omittendam eandem aestimabilitatem moralis, sive enim voluntas hunc, sive illum actum eliciat, eadem semper erit moralis aestimabilitas; ergo libertas illa est tantum physica, & in aestimatione moralis est necessitas ad non omittendam eandem aestimabilitatem moralis; sed libertas ad non omittendam hanc aestimabilitatem moralis non est sufficiens ad meritum; ergo &c.

54. Probat. 2. Debitor necessitatus ad solvendum hos, vel illos nummos omnino aequales, nullum præstat obsequium creditori solvens præ illis hos omnino aequales, neque est dignus gratitudine; ergo homo necessitatus ad

eliciendum hunc actum præ alio omnino aequali nullum præstabil obsequium Deo elicens. hunc præ illo omnino aequali, neque erit dignus ulla gratitudine. Respondent Adversarij neg. conseq. quia homines attendunt ad suam utilitatem, & cùm creditori non adveniat major utilitas ex his, quā illis nummis omnino aequalibus, & solo numero distinctis. Ille homo ita solvens, neque meretur apud creditorē, neque esset ulla gratitudine dignus. Deus verò non attendit ad suam utilitatem in nostris meritis, sed ad operis honestatem liberat, & dignitatem operantis, que reperitur in necessitate ad alterum.

Contrà tamen 1. Deus, quāvis non attendat ad suam utilitatem in nostris meritis, attendit tamen ad honestatem moralem imputabilem merenti, seu ipsi moraliter liberat, & non tantum ad physicam honestatem; aliter actus bonus necessarij elicitur simul cum dignitate personæ illi eliciuntur constitueret vele meritum apud Deum, quod est damnatum à Pontifice, ut constat ex 40. art. qui homo illi operans cum necessitate vaga ad unum è duobus actibus omnino aequalibus, non haberet libertatem moralis, ut ex num. 52. ergo &c. 2. Ideo actus necessarius, quantumvis luppenus, & honestus non potest simul cum dignitate personæ constituere meritum, quia talis honestas, licet operanti imputetur physicè, non imputabitur ipsi moraliter, cùm ab eo omitti non posset; atqui in nostro casu, licet agenti imputetur purè physicè, non potest ipsi talis honestas imputari moraliter, cùm non possit eam honestatem moralis omittere; ergo &c.

55. Affero 2. contra secundam sententiam. Libertas ad unum è duobus actibus diversæ speciei omnino aequalibus in honestate non sufficit ad meritum. Probat. 1. Quando actus sunt ejusdem speciei omnino aequales in honestate, homo necessitatus ad unum è duobus non meretur eliciens hunc præ illo, ut constat ex dictis, & facentur Auctores secundam sententiam; ergo, quando actus sunt omnino aequales in honestate, licet sint diversæ speciei, homo necessitatus ad unum è duobus non merabitur eliciens hunc præ illo; ergo &c. Confirmatur. Si actus A, & actus B diversæ speciei sunt omnino aequales in honestate, non minus, quam sunt omnino aequales in honestate actus A, & actus B ejusdem speciei; tam aequivaler in moralis aestimatione actus A diversæ speciei actui B, quam aequivaler actus A ejusdem speciei actui B in moralis aestimatione; ergo, sicut in eo casu non meretur homo necessitatus ad unum ex duobus illis actibus ejusdem speciei.

56. Probat. 2. Nequit homo mereri per operationem, quæ ipsi ad laudem imputari non potest, ut patet in necessaria operatione; atqui, si homo sit necessitatus ad unum è duobus actibus diversæ speciei omnino aequalibus in honestate non potest ei operatum in

laude imputari; ergo &c. Probatur min. illud tantum potest imputari homini ad laudem, quod est plus, quam id, ad quod est homo necessitatus; sed quando est necessitatus ad unum e duobus actibus diversae speciei omnino aequalibus in honestate, non potest eligere plus, quam id, ad quod est necessitatus; ergo &c. Probatur min. Si ex duobus actibus A, & B diversa speciei quilibet sit honestus tantum ut quatuor honestate omnino aequali, homo ad unum ex illis duobus necessitatus non potest omittere honestatem ut quatuor, nec potest ponere plus, quam honestatem ut quatuor; ergo non potest ponere plus, quam id, ad quod est necessitatus.

58. Probat. 3. Eadem libertas, quae requiritur ad peccarum, seu demeritum requiritur etiam ad meritum; atqui homo necessitatus ad unum e duobus actibus, quamvis diversae speciei omnino aequalibus in inhonestate non peccaret, sive hunc eliceret, sive illum; ergo homo necessitatus ad unum e duobus actibus bonis diversa speciei omnino aequalibus in honestate non mereretur, sive hunc eliceret, sive illum. Probatur min. Si rusticus ex conscientia sua erronea existimaret utrumque contradictionis esse peccatum omnino aequale, v. g. derelinquerere oves in deserto, ut audiret Sacrum, vel omittere Sacrum, ad servandos oves, quodcunque eligeret, non peccaret, ob rationem supra nobis datam; ergo &c.

59. Respondeat 1. Granadus de actib. human. tom. 2. Tract. 17. disp. 7. sect. 2. rusticum in tali perplexitate constitutum, peccare in cuiusvis electione; ceterum, ne durum homini videretur in tam suavi Dei providentia, ait, talem casum, et si ex natura rei possibile, ex Dei tamen cura, & providentia non posse contingere: nam Deus illuminaret illum hominem, illius ignorantiam vincibilem redderet, ut a perplexitate, & a peccato possit liberari. Sed contra est, quia non disputamus modo, an iste casus sit possibilis ex natura rei, ut contendit Granadus, vel metaphysicè impossibilis, ut vult Espanza l. 3.

60. 9. vel nullo modo repugnans, ut volunt alij. Sed supposita illius causis possibilitate solum intenditur, rusticum in eo casu non peccatum, sive hunc, sive illum actum eliciat, quod sic ostendo contra Granad. Nequit homo peccare, quia peccatum illi imputetur; sed peccatum in eo casu non potest rusticum imputari; etenim imputari nequit homini peccatum, quod vitare non potest, & homo ille vitare non potuit tale peccatum; licet enim extrema illa physice distincta essent in morali aestimatione, ex qua peccatum desumitur, essent unum & idem. Unde, si unum extreum vitare non potest in morali aestimatione, nullum vitare potest. Quapropter Lugo fatetur, se potius daturum, ignorare principia omnia hujus materiae, quam dicere, hominem hunc peccare. Videatur contra Granad. Ovied. de conscient. tom. 1. part. 2. multos referens.

61. Respondent alij 2 neg. maj. & assignant discrimen inter peccatum, & meritum, nimirum, quia, ut actus sit peccaminotus, & dignus poenae, requiritur obligatio illum vitandi, quae tunc non datur; nam illa duo extrema physica sunt moraliter unum, ac proinde rusticus impotens vitare unum moraliter, nullum ex illis potest vitare; cum obligatio solum detur ad vitandum id, quod quisque potest vitare, rusticus in eo casu nullam haberet obligationem vitandi unum ex illis extremis; at verò, ut actus sit bonus, & dignus premi, non requiritur talis obligatio, sed sufficit, quod actus sit tendentia in objectum bonum liberè existens, quod quilibet ex illis actibus jam haberet, cum ait nullum determinatè esset voluntas necessitatis.

62. Contrà tamen 1. Non potest in casuposito tolli ab eo homine obligatio vitandi actus, nisi quatenus tollitur libertas ad ponendum, vel omittendum talem actum: si enim ea libertas maneret, eo ipso maneret obligatio vitandi actum; atqui per vos tollitur obligatio, vitandi actus ergo & libertas. Modò sic. Non minus vagè necessitatus est homo ad actum malum, quando est ad unum e duobus omnino aequalibus moraliter necessitatus, quam sit necessitatus ad actum bonum, quando est ad unum e duobus omnino aequalibus necessitatus; atqui ea necessitas ad actum malum tollit libertatem; ergo & necessitas ad actus bonum tollit libertatem; sed absque libertate non datur meritum; ergo &c. 2. Ut detur meritum, necesse est, quod eliciatur obsequium magis illo, quam ad quod homo est necessitatus; sed in casu illo non potest homo ponere obsequium magis illo, quam ad quod homo est necessitatus; ergo &c. 3. Sicut potest excusari, qui eliceret cum ea vaga necessitate actum malum, nec offendit jus ad indignationem, & puniendum illud acquireret; ita premitior potest excusari, ne jus contra illum acquireret, qui cum vaga necessitate eliceret actum bonum; ergo &c.

63. Afferro 3. cum communi ultima sententia. Si homo esset disjunctivè necessitatus ad unum ex infinitis actibus bonis in infinitum remissioribus, & etiam in infinitum intensioribus non mereretur eliciens hunc præ illo. Probat 1. Homo ille tunc non meretur ex eo, quod eliceret actum bonum potens elicerre minus bonum; ergo nullò modo mereretur. Probat. ant. ex eo, quod voluntas facit ita, ut non possit non facere, non meretur; atqui in eo casu voluntas ita eliceret actum bonum, potens elicerre minus bonum, ut non possit ita non operari; ergo &c. maj. videtur per se nota, min. patet, quia, cum assignato quovis actu supernaturali semper maneant in infinitum remissiores, necessitata esset ad eliciendum actum magis bonum, relictò minus bono.

64. Probatur 2. Homo disjunctivè necessitatus ad unum ex infinitis actibus pravis collectiōne infinita continentie alios & alios in infinitum

nitū peiores, alios & alios in infinitū minus malos, non peccaret, quemcunque ex illis actibus eligeret; ergo etiam disjunctivē necessitatus ad unum ex infinitis actibus bonis ex collectione infinita continente alios, & alios in infinitum meliores, & alios & alios in infinitum minus bonos, quemcunque ex illis actibus eliceret, non mereretur. Consequentia tener, quia non requiritur minor libertas ad merendum, quam ad peccandum. Probat. ant. in eo casu, si homo peccaret, maximē, quia eligeret majus malum, potens eligere minus malum; sed tunc ex eo non peccaret; ergo &c. Probat. min. vel homo tunc peccaret, quia non eligeret malum omnium minimum, & hoc non, cum supponamus, impossibile tunc esse malum omnium minimum, & electionem mali omnium minimi; vel quia eligeret majus malum, quam aliud, quod posset eligere? & nequaquam hoc modo peccare? quia esset necessitatus ad ita eligendum: nam, ut supponimus, quocunque malū, quod ex illis malis, eligatur, est magis malum, quam aliud, quod eligi potest; ergo &c.

65. Confirmatur. Si in prædictis casibus vagae necessitatis peccaret, ille homo vel mereretur, vel peccaret in positione cuiuslibet ex illis infinitis actibus (idem suo modo de merito) sed hoc est fallū; ergo &c. maj. constat, quia homo non potest peccare, nec mereri in eo, quod non potest non facere; sed non potest non facere unum ex infinitis illis actibus, ut supponimus; ergo non potest peccare, vel mereri in positione cuiuslibet ex illis infinitis actibus. Major primi syllogismi probatur. Si homo in eo casu peccaret, aut mereretur, maximē, quia ponit majus malum relictō minori, vel, quia eligit minus bonum, relictō majori; sed ex hoc non peccaret, aut mereretur. Supponimus enim, hominem illum necessitatum esse ad ita eligendum; cum bona vel mala in illa serie ita se habeant, ut quocunque malo electo possit minus malum eligi, & quocunque bono electo possit eligi majus bonum; ergo &c.

S E C T I O III.

Solvuntur opposita.

66. Objicitur primò contra primam conclusiōnem. Actus elicitus ab homine cum necessitate vaga ad unum ē duobus omnino aequalibus est honestus ratione objecti; & motivorum; est etiam supernus, cum ex auxiliis gratiae eliciatur; tandem est liber, cum posset talis actus non elici; ergo esset meritorius. Confirmatur. Si talis actus non esset meritorius, maximē, quia esset solum physicē liber, & non esset liber moraliter; sed ille actus esset moraliter liber, ergo &c. Probatur min. voluntas necessitata ad unum ē duobus bonis moralibus est libera moraliter, uti necessitata ad unum ē duobus bonis physicis est physicē libera;

atqui in eo casu esset necessitata ad unum ē duobus bonis moribus; ergo &c. Resp. dist. ant. est liber physicē, conc. moraliter, nego ante. sed. & consequiam.

Ad confirmationem conc. maj. & neg. min. ad probat. dist. maj. quando sunt duo moraliter, sive in estimatione morali distincta; conc. quando sunt duo purē entitativē, & materialiter distincta, neg. maj. & dist. min. neg. consequiam. Itaque illi duo actus non distinguuntur ratione honestatis, cum uterque haberet honestatem ut quatuor aequē perfectam; ac proinde moraliter, sive in morali estimatione non essent distincti, sed solum distinguuntur ratione talis honestatis, quod quidem est physicē distinguiri. Unde moraliter, seu in estimatione morali non essent duo, sed unum; physicē autem essent duo, ad eum modum, quile, qui habet, duo instrumenta, in quo conferunt illi jus ad hæreditatem, non haberet duo instrumenta moraliter, sed unum moraliter, & duo physicē; si autem dicatur ille duo habere, moralitatem licet eandem constituant moraliter, ac proinde in hoc sensu esse duo moraliter, quæstio erit de voce; at vero illa duo in hoc sensu ad meritum non sufficiunt, cum non possit omitti moraliter plus, quam id, quod necessariō ponatur, neq; possit ponit moraliter plus, quam id, quod necessariō omittitur; hinc quidquid ponitur, aut omittitur absque merito sit.

Objic. 2 ex nostra sententia sit, hominem necessitatum ad actum misericordiæ bonum ut quatuor, vel ad actum charitatis bonum ut sex, si eligat actum charitatis ut sex, solum mereri ut duo secundum excessum duorum graduum, quibus actus charitatis excedit actum misericordiæ; sed hoc est incredibile; ergo &c. Resp. neg. maj. quia actus charitatis, & misericordiæ non sunt omnino aequales in honestate; forte enim unus charitatis gradus nobilior est quam quatuor gradibus misericordiæ; ac proinde, qui cum ea vaga necessitate elegerit actum charitatis ut sex, mereretur penes illos duos gradus, in quibus sit excessus, & mereatur etiam penes totam illam perfectionem, qua cæteri quatuor gradus charitatis excederent perfectionem quatuor graduum actus misericordiæ. Si autem supponamus, hominem esse vagē necessitatum ad quatuor gradus actus misericordiæ, vel ad quatuor gradus actus justiciæ omnino aequales in perfectione, talis homo nullatenus mereretur, sive actum misericordiæ, sive justitiae actum eligeret; at in eo nullum est absurdum, ut satis constar ex dictis, & patet in eo, quia ita necessitatus esset ad pravos actus.

Objic. 3. Christus Dominus positiō præceptō moriendi fuit necessitatus ad acceptandam mortem; ergo saltem fuit vagē liber ad hanc, vel illam acceptationem; atqui per mortis acceptationem meruit; ergo vaga libertas sufficiens est ad meritum. Resp. ex dicendis Tract. de perfect. Christi translat. ant. neg. conseq. ex quo torum corruit argumentum. Itaque, quan-

do in **injunctum** præceptum Christo Domino fuit, fuit ipse liber ad amplectendam, & obtinendam dispensationem præcepti, ac proinde man sit liber ad subeundam, & non subeundam mortem; si ergo imposito præcepto potuit Christus Dominus absoluere præcepti dispensationem petere, ac obtinere, & mortem non subire, quid mirum, quod subeundam mortem meretur, in nostro autem casu non datur talis libertas, sed necessitas ad ponendum unum è duobus actibus omnino æqualibus, ac proinde locus non manet ad merendum.

70. Objic. 4. Cum necessitate vaga ad actus omnino æquales dari potest moralis laudabilitas; ergo & meritum. Consequentia tenet, & an. certum est, ut parer in Deo, cuius electiones liberæ sunt æquales omnino in perfectione, & quamcunque eliceret, se exerceceret moraliter, laudabiliter; ergo &c. Resp. ex Tractat. de charitat. dist. ant. moralis laudabilitas essentia lis, con. accidentalis, neg. ant. & conseq. Itaque Deus est moraliter laudabilis in suis electionibus essentia laudabilitate, quæ cum necessitate componitur. Creaturæ vero sunt laudabiles laudabilitate accidentali, quæ mortalem requirit libertatem; cum autem hæc moralis libertas non intercedat, quando adest necessitas vaga ad actus omnino æquales, creatura cum tali vaga necessitate operans neque se exerceceret moraliter laudabiliter, neque meretur.

71. Objic. 5. contra tertiam conclusionem. Qui potens ponere actum minus perfectum suamet ipsa libertate, & electione, elicit actum magis perfectum, meretur, & dignus est laude; atqui homo vagè necessitatus ad unum actum ex infinitis perfectionibus penes excessum, & imperfectionibus penes remissionem eliciens actum ponenter suamet ipsa libertate, & electione actum magis perfectum, potens ponere minus perfectum; ergo &c. Retorquo argumentum. In voluntate ita vagè necessitata ad unum ex infinitis actibus pravis, quæ ita eliceret actum malum, ut possit minus malum elicer; ergo peccaret, & demeretur. Resp. deinde dist. maj. si necessariò eligit magis perfectum, relatio minus perfectio, neg. si eligit magis perfectum absolutu potest non eligere magis perfectum, conc. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est, quia voluntas vagè necessitata ad unum ex infinitis actibus versus incrementum, & decrementum ita necessitata ad eligendum, ut non possit non eligere aliquem actum magis perfectum relatio alio minus perfecto, ex eo, quod ita eligit, non meretur.

72. Objic. 6. Semper est magis honestum, honestum ut quatuor, quam honestum ut tria; ergo quamvis dentur infinita honesta perfectio ra supra honestum ut quatuor, & imperfectiora infra honestum ut tria, eligeret honestum ut quatuor relatio honesto ut tria, semper erit laudabile, & meritorium. Retorquo argumentum, ut suprà in actibus pravis, & inho-

nestis. Deinde in intensione infinita falso supponuntur termini intensionis ut quinque, vel quatuor in actu determinato respectivè ad actus quoad intensionem, & remissionem infinitos; ceterum hoc præmissò dist. consequens. Erat laudabile, & meritorium, si absolutè posset eligi actus minus perfectus non eligendò actu imperfectiorem, qui potest etiam eligi, conc. si ita non eligatur, neg. conseq. Ratio est, quia, si eo catu sufficeret ad laudem, & meritum eligere actu magis honestum relatio minus honesto, quin posset eligi, voluntas cum esset necessitata ad ita eligendum, mereretur in eo, quod necessariò faceret, quod dici non potest: quapropter, ut voluntas mereatur, necessè est, quod pro libitu suo possit carere omni merito, quod tunc fieri non potest, si ea vaga necessitas ad meritum esset sufficiens.

Instabis. Licet voluntas vagè necessitata est ad actu alicujus virtutis, adhuc operatur laudabiliter, & mereretur, si eligeret charitatem præ temperanciam, aut aliis similibus; atqui tunc non possit carere omni laudabilitate, merito; ergo voluntas potest operari laudabiliter, & meriti, quamvis non possit carere omni laudabilitate, & merito. Retorquo argumentum ut suprà, in vaga necessitate ad actus pravos. Relp. deinde dist. maj. si esset necessitata vagè ad actus perfectiores in infinitum penes excessum, & minus perfectos penes remissionem, nego; si possit eligere omnium minimum, conc. maj. & dist. min. neg. conseq. quia voluntas in eo casu eligens actu omnium minimum, neque laudabiliter operatur, neque mereretur; ac proinde possit carere omni merito, & laudabilitate morali, sicque mereri possit eligendò actu perfectiorem illo; sicut qui necessitatus esset ad unum ex infinitis malis, si possit eligere omnium minimum, illudque eligeret, non peccaret, peccaret autem, si quodvis aliud majus malum eligeret; pariter in nostro casu dicendum erit.

S E C T I O IV.

Utrum requiratur ad meritum immediata libertas?

Prima sententia affirmat; ita Arriaga tom. 3, disp. 4, sect. 3. Elparza, Bonaspe, alijque. Secunda sententia docet, augeri meritum per immediatam libertatem, sicut in actu interno, sive in actione externa imperata ab actu interno. Ita Scotus, pluresque alij cum Ripalda disp. 68, sect. 4. & 5. in appendic. 1. Cardin. de Lugo disp. 74. Tertia sententia defendit, sufficere ad augendum meritum mediaram libertatem ad actu voluntatis, secus ad opus externum. Ita plures Recentiores cum Oviedo tom. 2, part. 5. & 6. Pro resolutione suppono ex Philosophia, actu voluntatis imperatum solum esse mediare liberum, si connectatur essentia liter cum imperante, & ab eo pendeat.

Tet

Ratio

75. Ratio ex ibi dicitis est, quia in eo casu determinatio voluntatis ad actum imperantem est prior natura determinatione ad actum imperatum. Deinde non daretur alius modus ponendi imperatum, nisi medio imperante: hanc autem vocamus mediatam libertatem auctus ita imperati, ad eum modum, quo defenditur liberas auctus pracepti pro instanti determinato praecedentis tanquam a principio perse. Ceterum, quia ratio partialis nulla est, &c. quia dato, quod ita se haberet, nullo modo maneret libertas, ut late alibi ostendi; haec evasio nulla est ad defendendam immediatam libertatem auctus pracepti. Ille enim solum potest esse liber immediate, quando procedit ab imperante tanquam a principio per accidens; quidquid tamen de hoc sit, controversia in praelenti non procedit ex suppositione, quod auctus imperatus est mediata liber, sed ex suppositione, quod sit immediata liber, an in eo casu addat meritum supra meritum auctus imperantis. His positis,

76. Affer 1. cum tercia sententia. Auctus voluntatis imperatus mediatam liber auger meritum supra meritum auctus imperantis. Probat. 1. Meritum ultra dignitatem, & libertatem personam includit etiam formalem honestatem; atqui auctus imperatus ultra dignitatem personam, & libertatem requisitam ad actum imperantem includit novam honestatem formalem supra honestatem auctus imperantis; ergo &c. maj. & consequentia tenent: min. pater, quia auctus imperans potest esse auctus timoris, justitiae &c. auctus imperatus vero potest esse auctus charitatis; sed auctus charitatis includit novam honestatem formalem supra honestatem auctus timoris, justitiae; ergo &c. Confirmatur. Ut unum meritum sit maius altero, non requiritur, quod crescat ex omnibus suis partibus, sed sufficit, quod ex aliqua crescat: sufficit enim, quod crescat ex parte dignitatis personam, licet non crescat ex parte formalis honestatis, aut libertatis, ut infra constabit; atqui meritum congruens ex illo actu imperante, & imperato, licet non crescat ex parte dignitatis, aut libertatis supra meritum imperati, cum libertas, & dignitas eadem sit ad imperantem, & imperatum, crescit tamen ex parte intrinsecæ, & formalis honestatis; ergo &c.

77. Probat. 2. Talis auctus imperatus ita sit a voluntate per mediata libertatem, ut possit pro libitu voluntatis ponit, vel omitti; deinde est supernaturalis honestas, & a gratia habituali condignificatus, sed nihil ali id requiritur, ut sit meritorius; ergo &c. Confirmatur 1. Libertas requifita ad meritum est illa, quæ sufficit ad verificandum testimonium Eccles. 31. *Beatus vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & quis est hic, & laudabimus eum;* atqui libertas mediata sufficit ad illud verificandum, ut expendenti constabit; ergo &c. 2. Voluntas eliciens simul auctum justitiae imperantis, & auctus misericordie

diæ imperatae magis meretur ceteris paribus, quam actum præcisè justitiae efficacem elicens; ergo actus misericordiae imperatae auger meritum supra meritum justitiae imperantis.

Probat 3. Peccator morti proximus, & copiæ Confessarii destitutus, obligatus tamen ex precepto elicere contritionem, flagrans defiderio suæ æternæ salutis, potest ex affectu obedientiae imperare efficaciter contritionem; qui tunc contritio elicita, & imperata habet rationem meriti distinctam a merito auctus obedientiae imperantis; ergo &c. maj. præquam, quod ex terminis appareat certa, constabit ex Tractat. de charit. min. pater; in eo casu contritio esset ultima dispositio de congruo meritoria justificationis, quod non convenienter obediens; ergo habet rationem meriti distinctam a merito auctus obedientiae.

Respondeat Arriaga variis modis, intendens fugere vim argumenti. Plura autem, quæ in solutionem afferunt, non sunt ad rem, quia loquuntur in casu, quo imperium sit ita efficax, ut connectatur cum contritione imperata. In hoc autem sensu responderet 1. hujusmodi contritionem non sufficere ad justificationem, quod non censet absurdum ex eo, quod talis casus sit moraliter impossibilis. Contraria tamen 1. Quia, si hoc continet absurdum, nec pro casu sit moraliter impossibili admittendum est. 2. Quia incredibile est, quod in eo casu peccator non leuitudo disponat ad justificationem; ergo &c. 3. Quia, si auctus imperans sit naturalis, & imperatus supernus, non est, cur debeat meritum auctus superni ab eo homine tolli, sed tunc solum maneret libertas mediata; ergo &c. Quapropter

Resp. 2. Deum de facto forte contineat, se sola contritione ad munus ultimæ dispositioñis, sive mediata, sive immediate libera, sive habeat, sive non habeat meritum distinctum a merito auctus imperantis. Contraria tamen 1. Quia, ut constat ex num. 45. meritum eandem requirit libertatem de facto ad conversionem, quam ad aversiōnem a Deo; atque aversio importat libertatem; ergo saltem de facto conversione importat libertatem; sed per contritionem ultimæ disponentem ad gratiam homo de facto convertitur ad Deum; ergo talis contritio saltem de facto importat libertatem. 2. Nullum datur fundamentum suadens Deum de facto decrevit, se talem contritionem ad ultimam dispositioñem datur autem ad judicandum non ita decrevile, ut prima ratione constat; ergo &c. Quapropter Adversarius ipse fatetur, suam responsonem valde dubiam esse. Unde concedendum a fortiori est, non esse securam ad solvendam difficultatem.

Nec obstat, quod notat Ovidius, quod contritio in actu secundo sit de congruo meritoria justificationis, provenire ex lege Dei; quapropter convenire id etiam potest auctus obedientiae; haec enim responso nulla esset. Ratio est, quia de facto ex lege Dei obedientia non est mentio-

ria de congruo justificationis; ergo, si in prædicto casu contritio non haberet meritum distinctum à merito obedientiæ, nō darerur ultima dispositio meritoria de congruo justificationis, cum quia, ut constat ex dictis, agentes de dispositiōibus ad justificationem, majorem congruentiam habet ex se contritio, ut ultimò disponat ad justificationem, quā actus obedientiæ.

82. **Affero 2.** Opus externum imperatum ab interno per se non addit novum meritum supra actum internum. Probat. 1. Actio meritoria debet esse formaliter honesta; meritum enim est obsequium ex se movens ad retributionem, quod solùm actioni formaliter honestæ convenire poterit; atqui opus externum non est actio formaliter honesta; ergo &c. Confirmatur 1. Obsequium ex se movens ad retributionem, utpote actio honesta, recta & virtuosa, debet esse fuga mali, aut boni amplexio formaliter conformis naturæ rationali ut rationali. Hoc enim est, quod quasi de suo ponit voluntas obsequens; sed opus externum neque est fuga mali, neque amplexio boni formaliter conformis naturæ rationali ut rationali; ergo &c. 2. Honestas formalis est proprietas actus voluntatis; sicut formalis veritas est proprietas actus intellectus; atqui formalis veritas non datur in opere externo; ergo neque formalis honestas; ergo &c.

83. Probat. 2. Externum opus imperatum ab actu interno non auget per se peccatum, sive demeritum; ergo neque meritum. Consequens tenet. Quia, sicut objectum externum actus peccaminosi est objectivè malum, & objectum actus mali; ita objectum externum actus meritorii est objectivè bonum, & objectum actus boni; ac proinde; sicut ille non potest augere demeritum per se, neque istud poterit per se augere meritum. Probat. ant. ex August. lib. 1. de lib. arbit. c. 3. dicente: *Ut intelligas, libidinem in adulterio malam esse, si cui etiam non contingat facultas concubantum cum conjugi aliena, planum tamen aliquo modo sit, id cum cupere, & si potest detur, facturum, non minus reus est, quam si ipso facto deprehenderetur; ergo &c.*

84. Confirmatur 1. Qui aliquid proprium usurpat, judicans esse alienum, aequè peccat, ac si alienum usurpare; atqui actio externa aliena non est; ergo actio externa non auget demeritum. 2. Si quis invitè derentus missæ afflisteret perseverans semper in animo non audiendi, aequè peccaret, ac si non afflisteret; ergo actio externa neque auget, neque demeritum minuit. 3. Si quis invitè malam actionem patet, non peccat; sic S. Lucia Tyranno minanti, jubebo te ad luppenas duci, sapienter respondit, si invitè iussi violari, castitas mihi duplicitabur ad coronam, id est, castitatis meritum non amittam, & ulterius dabitur laureola Marryrij; ergo totū meritum in actione interna consistit.

85. Probatur 3. Carentia operationis simpliciter involuntaria non potest minuere meritum effectivè & efficaciter volentis illam absolute &

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

xercere; atqui, si opus externum imperatum ab interno augeret meritum, talis carentia operantis minueret meritum; ergo &c. Probatur min. Quando Petrus vellet effectivè & efficaciter absoluere eleemosynā elargiri, posset aliquis ex pravo affectu ejus manus detinere, & ligare, ne tribuat; tunc enim carentia elargitionis externæ eleemosynæ esset simpliciter involuntaria; atqui, si actio externa augeret meritum, tunc Petrus privaretur simpliciter involuntariè illo augmento; ergo &c. Confirmatur. Percutians duo homines aequali animo occidendi, ita, ut unus ex vulneratis miraculosè non moriatur, alter verò ex vi morbi moriatur, in tali causa incredibile est, quod nō peccet, aequè & aequè non demereatur ille, qui percussit eum, qui miraculosè est conservatus, quā ille, qui percussit eum, qui est mortuus; sed non ita esset, si opus externum augeret demeritum; ergo &c.

86. Probat. 4. ex absurdis, quæ ex tertia lentiā sequentur. Primum esset, quod ex duobus aequè sanctis, & aequè honeste operantibus unus haberet majus meritum, eò quod multiplicitate actionum externarum superare posset meritum actuū internorum alterius. Secundum, etiam si unus esset melior altero, posset idem contingere propter eandem rationem. Tertium, contingere etiam posset, quod minus malus puniretur acerbius in inferno, quā magis malus, eò quod ita augeretur ejus demeritum ratione operum externorum, ut superaret demeritum actuū internorum magis mali, cuius desideria in externa opera non prodirent, sed hæc absurdā non sunt admittenda; ergo &c.

87. Responder Ripalda, propter hoc negandum non esse meritum, & demeritum operibus externis, cum ex ea sententia non sequantur ea absurdā. Ratio est, quia opera externa bona (idem sū modō de malis) habent bonitatem respectivam consistentem in eo, quod opera externa, quamvis non faciant hominem absoluere, & in se meliorem, faciunt tamen respectivè ad Deum ut principium Reipublicæ rationalis: nam bonum est exhibere externa virtutum exempla, quibus honor Dei promoveatur, & homines excitentur ad meritum. Contrā tamen, quod ex tali majori bonitate respectiva argueretur major dignitas ad premium (idem sū modō de operibus externis malis) ergo sequentur absurdā, quæ intendimus.

88. Contrā 2. Opus externum, ex eo, quod non faciat hominem in se meliorem, non habet honestatem formalem, sed purè objectivam; ergo non facit hominem respectivè meliorem ad Deum formaliter ratione sūi; sed, quod homo affectu efficaciter amplectatur illud bonum objectivum, quo facit obsequium Deo ut principio naturæ rationalis; ergo totum meritum sūt in effectu, & non in opere externo; consequens tenet: nam, sicut actus voluntatis amplectitur objectum bonum, ita actus intellectus affirmat objectum, ut est in se; ergo, sicut tota veritas

SECTIO V.
Solvuntur opposita.

stat in actu se conformeant cum objecto ut est in se, ita tota honestas ad meritum & obsequium stabit in actu amplectente objectum bonum. Confirmatur 3. Licet Deo, & Reipublica rationali bonum sit, quod dentur externa virtutum exempla, ut homines ad Dei laudem, & incitamentum virtutis promoveantur; attamen ex parte operis externi tota ea bonitas est purè objectiva, & nullatenus formalis honestas, sicque potest reperiri absque actu interno virtuoso, & non est formaliter obsequiosa; actio verò meritaria non se debet ita habere, sed opus est, ut sit formaliter honesta, & obsequiosa; ergo. Ex dictis

89. Fit 1. Opera honesta externa solum per accidentem posse defervire ad augendum meritum aetatis interni, quatenus defervire possunt ad maiorem voluntatis durationem: experientia enim constat, hominem diutius manere in voluntate virtuosa, quando operatur exterius, quam quando non operatur; contingit etiam sapere, quod dum voluntas exterius exercetur, intensius, & ferventius feratur in objectum. Quapropter non querimus, an in hoc sensu opus exterium per accidentem augeat meritum, sed an per se, seu formaliter per opus exterium meritum augatur? v. g. habent Petrus & Paulus aequaliter voluntatem internam quoad omnes circumstantias dandi eleemosynam, Petrus re ipsa dat, Paulus verò re ipsa non dat, quia non potest; dicimus ergo, Paulum in eo casu tantum per se mereri, quam Petrum; habet enim voluntatem tam intensam, ac honestam, ac Petrus, & adeo efficacem, ut, si afferantur impedimenta, que ab ipso afferi non possunt, re ipsa eleemosynam elargiretur.

90. Fit 2. Eum, qui haber actum efficacem circa eleemosynam elargiendam, plus mereri eleemosynam elargiendo, quam qui potens eam elargiri, haber voluntatem elargiendi, & non elargitur. Ratio est, quia iste non haberet voluntatem adeo efficacem: de ratione enim voluntatis efficacis est, ut ille, qui haber voluntatem efficacem, exequatur, quod vult, si in ejus potestate sit executio. Quapropter Exim. Doct. hanc regulam assignat. Quoties opus externum bonum est in hominis potestate, non adest tantum meritum in non exequente, quam in exequente opus, cum in re non sit tam intensa, & efficax voluntas unius, quam alterius. Fit 3. Opera externa esse materialiter, & objective meritoria, eo modo, quo sunt materialiter, & objective honesta, bona, & libera, secus autem formaliter. Fit 4. Actum imperaturum habere meritum adaequatè distinctum a merito imperantibus, quia meritum dicit honestatem, & libertatem; atque, licet actus imperatus habeat honestatem distinctam ab honestate a-
ctus imperantibus, non haber libertatem distinctam a libertate actus imper-
tantibus; ergo &c.

Obijc. 1 contra primam assertiōnem. Actio ¹ externa ideo non est meritoria, quia solum est mediata liber; atque actus imperatus voluntatis solum est mediata liber; ergo non est meritorius. Confirmatur 1. Sicut tota bonitas objectiva actionis externae solum se habet ut volita ab actu interno, ideoque voluntati non imputatur, ita tota honestas actus imperati solum se habet ut volita ab actu imperante, ideoque voluntati imputari non potest; sed quod non potest imputari voluntati, non est meritorius; ergo &c. 2. Si in instanti, in quo Petrus liber amat Deum, conferret illi Deus pro posteriori naturae visionem, & amorem beatificum, talis amor beatificus, etsi honestus, non est meritorius, ex eo, quod solum est mediata liber; ergo &c. 3. Licet actio externa non sit formalis honestas, nihilominus est bona objectiva; ac proinde, si est immediate libera, est meritoria; ergo ratio, proper quam non est meritoria, non est, quia non est honesta formaliter, sed quia solum est mediata libera; ergo &c.

Resp, neg. maj. quia actio externa id est non
est meritoria, ut ex num. 82. quia non est for-
maliter honesta, neque elicita ex determinati-
one voluntatis, qua imputati posse augend
per se formalem honestatem; actus vero impe-
ratus habet formalem honestatem impudibilem
voluntati. Ad primam confirmationem nego
ant. honestas enim actus imperati mediate libe-
ti non solum est honestas volita, sed etiam for-
malis elicita, & voluntati impurabilis; cum vo-
luntas ex sua determinatione, qua moveatur ad
actum imperantem, essentialiter moveatur eam
ad actum imperatum; ac proinde ad ample-
tendum suo proprio moro obiectum non lo-
lum per honestam amplexionem actus impe-
rantis, sed etiam per honestam amplexionem
actus imperati, quod nullatenus convenienti acti-
onibus externis.

Ad secundam confirmationem neg. ant. 12^o
lis enim amor beatificus ideo non est meritorius, quia non se habaret respectu ad voluntatem mediare liberè elicitus, cum determinatio ad actum imperantem, qua ex se moveatur voluntas, non ferret secum determinationem ad amorem beatificum, sicuti ferret secum determinationem ad actum imperatum; sed polo actu dilectionis Deus pro libitu suo potens non conferre talem amorem, & comprincipia ad illum, conferrer comprincipia, seu lumen, & visionem, ut voluntas necessariò eliceret talem amorem. Unde talis amor beatificus non procederet a voluntate, & connexione cum determinatione ad dilectionem liberam; ac proinde non esset mediare liber, sed respectu actus immedietate liberi tota ea honestas ad summum haberet ut volita; quod non sufficit, ut talis amor

mor beatificus est voluntati formaliter imputabilis.

94. Si autem excogitabilis sit actus, in quo amor beatificus sit vere imperatus ab actu meritorio immediate liberè, & cum eo connexus, tunc etiam est meritorius pro eo instanti, in quo mediatè liberè eliceretur: si enim, ut supponunt Adversarij, posset componi meritum in eodem instanti cum visione beatifica, & amore beatifico, quare non poterit componi, quod in praedicto casu, sit etiam meritorius amor beatificus, si vere sit mediatè liber? Si vero in instanti amoris beatifici non potest dari meritum, neque poterit esse imperatus ab actu meritorio immediatè libero. Ad 3. dist. ant. est meritoria, quia solum objectivè bona, nego, quia formaliter honesta, & libera, conc. ant. & nego consequentiam. Ratio est, quia actio immediatè libera est actio interna, & immediatus motus voluntatis, sive actus, quo voluntas fertur in objectum ex sua immediata determinacione; ac proinde, si per impossibile illa actio externa esset immediate libera, cum esset honestus voluntatis actus, esset actio meritoria, non quia contineret bonitatem objectivam, sed quia in ea suppositione contineret etiam bonitatem formalem.

95. Objic. 2. Si Duo efficaciter quoad effectum imperant actum supernum amoris Dei, judicantes bona fide se habere comprincipia ad illum eliciendum, cum re ipsa unus non habeat: in hoc casu non minus meretur, qui non haberet comprincipia, neque talem amoris actum eliceret, quam ille, qui haberet comprincipia, & eliceret illum actum; ergo actus imperatus non auger meritum. Probat. ant. quia apud Deum affectus pro facto reputatur; ergo &c. Respondeo supposito eo casu, neg. ant. plus enim meretur ille, qui talem actum eliceret; sicut, qui non haberet ulla comprincipia superna, & veller ea habere, & supernos actus elicere, non tam mereretur, quam ille, qui haberet ea comprincipia, & eliceret actus supernos. Ad probationem dist. ant. voluntas pro facto reputatur objectivè, conc. effectivè, neg. ant. & consequentiam. Quia ex objecto volito sumit apud Deum affectus honestatè, quatenus cæteris paribus melior est actus tendens circa objectum bonum, quam circa minus bonum, siveque objectivè reputatur affectus pro facto; secus autem effectivè, quia nunquam est adeò bonum, velle elicere actus bonos, quam eos elicere aliter, qui veller elicere actus tam perfectos, quam Christus Dominus, & Beata Virgo, tam honestè operaretur, quam Christus Dominus, & Beata Virgo eos elicientes, quod dici non potest.

96. Objic. 3. contra secundam conclusionem. Actio externa imperata ab actu interno auger per se demeritum; ergo etiam meritum. Probat ex August. lib. 13. de Trin. cap. 5. dicente: *Mala voluntate quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium mala voluntatis impletur; ergo &c.* Confirmatur: Peccatores

explicare debet in confessione sacramentali non solum actus internos, sed etiam actiones malas externas; ergo istæ augent demeritum supra actum pravum internum. Resp. neg. ant. ad probationem neg. conseq. quia Div. Augustin. non dicit opera externa facere per se hominem pejorem, sed per accidens, & occasionaliter, quatenus, qui exercet externè, soler intensiorem elicere actum internum, eumque per longius tempus protrahere, ut suprà dixi. Ad confirmationem conc. ant. & neg. conseq. quia actiones externæ non sunt in confessione explicandæ, quia sunt formaliter malæ, sed quia sunt prohibitæ, & significativæ affectus interni peccaminosi, & quod præcipuum est, quia sic volunt Christus Dominus.

Objic. 4. Ecclesia imponit penas, & concedit indulgentias pro operibus externis, tum Principes promittunt premia non aliter obtinenda, quam per opera externa; ergo haec augent meritum, vel demeritum. Confirmatur. Deus non concedit laureolam Martyrij, nisi pervenientibus ad opus externum; immo exspectavit externam Christi Passionem, ut intuitu illius conferret hominibus gratiam; ergo bona opera externa augent meritum. Resp. concedo ant. & neg. conseq. Actiones enim externæ preminentur, vel puniuntur ab Ecclesia, & Principibus, non quidem quia in illis datur formalis ratio meriti, vel demeriti, sed quia sunt presuppositivæ, & expressivæ affectus interni; & cum aliunde homines non judicent de internis, idcirco conveniens fuit, ut pro actibus externis ab Ecclesia, & Principibus præmium, & pena constitueretur.

Ad confirmationem neg. conseq. quia Deus non concedit laureolam Martyrij, quia in actione externa sit meritum, sed quia voluit laureolam alligare tali operi externo, quamvis in ea non sit meritum; ut patet in pueris innocentibus, qui Martyres fuerunt, ex eo, quod occisi fuerunt in odium Christi à Tyranno independenter ab ullo ipsorum merito, aut actu interno. Quapropter, licet non detur laureola Martyrij independenter ab opere externo, dabitur tamen totum meritum Martyrij, ut patet ex dictis, & constat manifestè ex illo, quod de D. Martino canit Ecclesia: *O sanctissima anima, quam, et si gladius persecutionis non absulit, palmarum ramen Martyrij non amisit, id est non amisit meritum.* Unde *Passio Christi Domini exspectata fuit à Deo, quia morti alligavit laureolam Rēdēmptoris, non vero, quia in ea actione externa staret meritum.* Immò instans mortis, prout significat primum instans defectus vitae, non est instans merendi in hac lege Dei, ut fatentur ipsi Adversarij.

Objic. 5. Actio externa auget satisfactionem; ergo etiam meritum. Confirmatur. Si actio externa per se non augeret meritum, sequeretur, hominem volentem dare infinitam eleemosinam, vel infinitos homines mereri, vel demereri infinitè, sicuti, qui exercitè hoc ipsum faceret; sed hoc

hoc non est admittendum; ergo &c. Respondeo conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia, cùm satisfactio substituta sit pro satispassione, comprehendit etiam tollerantiam pœnæ, atque adeò etiam pœnaltatæ, quæ major est in opere interno & externo simul, quâm solum in actu interno: manifestu enim est, non affligi tantum illum, qui habet solam voluntatem se flagellandi, quâm alterum, qui præter voluntatem exercet etiam in re ipsa externam flagellationem; at vero meritum, cùm sit in actione formaliter obsequiofa, & honesta, non potest comprehendere opus externum, cùm istud non sit formaliter honestum.

100. Ad confirmationem neg. suppositum majoris: nam homo non potest elicere infinitos actus, quibus infinitam det eleemosinam, &c, si per unicum voluntatis actum, vel plures actus finitos conferret infinitam eleemosinam, non exinde haberet meritum infinitum; meritum enim actus non crescit ex objecto arithmeticè, sed solum geometricè; ac proinde, et si actus haberet objectum externum infinitum, esset ex eo præcisè infinitus. Sic actus charitatis, quo amamus Deum infinitum, non est infinitus, licet habeat objectum infinitum. Actus enim voluntatis est amplexio objecti, &c, licet objectum sit infinitum, potest finitè amplexi, & sic amplexio evaderet finita; sicuti, licet anima unita corpori sit spiritualis, potest per unionem materialis uniri, imò sufficit, ut unio sit materialis, ut specificetur ab uno extremo materiali. Pariter etiam, ut amplexio voluntatis sit finita, sufficit, ut specificetur à principio adæquat finito; cùm ergo voluntas hominis in hac præsenti lege non habeat ad elicendos suis actus principia infinita, non potest elicere actus infinitos. Si autem duo æqualis sanctitatis haberent principia ad honeste volendum æquè intensa, & elicerent actus, quibus vellent æquè intensè eleemosynam elargiri, unus autem daret, quæ potest, alter verò non daret, quæ non potest, æquè meterentur, ut jam constat ex dictis.

SECTIO VI.

Utrum libertas in alio tanquam in capite sufficiat ad meritum?

101. Ad quæstionis resolutionem suppono 1. A posse voluntatem unius constitui in voluntate alterius tanquam in capite in ordine ad meritum, ita, ut meritum elicetur à capite tributur moraliter alteri in capitis voluntate contento. Sic Deus constituit voluntates nostras in Adamo tanquam in capite, ideoque peccatum physicè ab Adamo commissum nobis imputatur, & moraliter nos peccatores denominat. Sic etiam voluntas pupilli ita constituitur à Republica in voluntate Tutoris, ut actio physica à Tutori elicitur censetur elicitur à pupillo. Pariter ergo potuit Deus ita constitutre nostras voluntates in voluntate Christi Domini, ut meritum physicè à Christo Do-

mino elicetur censetur moraliter nostrum. Suppono 2. Meritum, quod in eo casu derivaretur à capite in voluntatem in ipso contentam, non fore majus eo, quod voluntas contenta eliceret, si per se ipsam physicè meritorum operaretur. Ratio est, quod voluntas capit in eo casu substitueretur pro voluntatibus in ipso contentis; atqui substitutus non tribuit actionibus maiorem valorem illo, quem habetens, si physicè elicerentur ab illo, pro quo substituuntur, ergo &c. Sic peccatum Adæ non imputatur magis nobis, quâm imputatur, si à nobis physicè eliceretur; sic etiam actio Tutoris non habet majorem valorem, quâm haberet, si à pupillo in plena sua ætate eliceretur. Suppono 3. Casu, quo Deus constitueret nostras voluntates in voluntate Christi, ut omnia merita Christi in nos etiam refunderentur, decretu illius constitutionis obligare Deum ad nos sive intrinsecè, sive extrinsecè sanctificandos, ut merita illa nobis de condigno imputentur. Ratio est, quia si ex vi illius decreti obligabatur Deus ad hoc, ut merita Christi nobis imputarentur de condigno, obligabatur ad id, quod requiritur, ut nos mereamur de condigno; sed, ut nos mereamur de condigno, necesse est, ut sumus sancti, sive intrinsecè, sive extrinsecè; ergo &c.

Ex his autem oritur controversia, an libertas in alio tanquam in capite sufficiat ad meritum, non solum de congruo, verum etiam de condigno gloriae, & gratiae? Prima sententia negat. Ita Ripalda disp. 74. sec. 7. Ovid. tomo 2. part. 2. Cacher. c. 6. s. 4. Secunda sententia docet, sufficere hanc libertatem, ut parvuli in gratia constituti mereantur de condigno; voluntatem verò adulorum non posse ita constitui in voluntate alterius tanquam in capite, neque ad merendum, neque ad demerendum de condigno, aut de congruo; ita aliqui Recentiores. Fundamentum eorum est, quia contingere potest, ut in eodem instanti, in quo caput eliceret actum amoris, adulterus peccaret, vel contrà dum adulterus eliceret actum amoris, caput peccaret; ac proinde ex eo fieret, quod simul adulterus peccaret, & mereretur, quod implicat. Tertia sententia affirmat, tam de parvulis, quâm de adulcis. Ita Bonasps disp. 4. quem sequuntur alij Recentiores.

Affero cum terria sententia. Libertas in alio tanquam in capite, si cætera adfint, sufficit ad meritum condignum gratiae, & gloriae. Prob. 1. Non requiritur major libertas ad meritum condignum, quâm ad peccatum lethale; sed ad peccatum lethale sufficiat libertas in alio tanquam in capite; ergo etiam ad meritum condignum. Confirmatur. Ut homo sit indifferens proximè ad merendum de condigno graciæ, & gloriæ, vel ad peccandum lethaliter, ultra libertatem solum requirit statum sanctitatis, si nequa non datur meritum condignum: posita enim illa libertate, quæ requiritur ad peccandum lethaliter, si superaddatur gracia sanctificans, sufficienter constitutus erit homo ad merendum.

Utrum libertas in alio tanquam in capite sufficiat ad meritum? 617

rendum de condigno; ergo, si sufficiat libertas in alio tanquam in capite ad peccandum lethaliiter, ut patet in peccato originali contracto ex Adamo, etiam sufficiet ad meritum de condigno.

105. Probat. 2. Si ob aliquam rationem libertas in alio tanquam in capite non sufficeret ad meritum de condigno gratiae, & gloria, ideo esset, quia meritum condignum includit sanctitatem condignitatem opus meritorum, & quia sanctitas solum potest significare opus elicium ab subiecto, in quo est; sed fundamentum istud nullum est; ergo &c. Prob. maj. Sanctitas, qua sanctificatur homo constitutus in alio tanquam in capite, sufficiens est ad sanctificandum opus capitis, prout est moraliter hujus hominis in illo constituti; ergo &c. prob. ant. Condignitatio gratiae non est opus physicum, sed morale consistens in eo, quod operatio superna honesta sit operatio hominis sancti; atque operatio capitis supernaturalis honesta, quae moraliter est operatio hujus hominis in illo constituti, est supernaturalis operatio hominis sancti; ergo &c.

106. Probat. 3. Destruendō fundamentum secundae sententiae. Si Deus constitueret voluntates nostras in voluntate Christi quoad munus merendi pro casu, quo constitutus in voluntate Christi, non haberet voluntatem contrariam voluntati capitis, confaret totum inconveniens ab Adversariis adductum, ut ex ipsis terminis patet; ergo absolute possibilis est talis constitutio; ac proinde inutilis est ad eam negandam distinctio inter parvulos, & adulti. Constat. Si Deus veller, quod voluntates in Christo constitutae tanquam in capite mereantur, quoties meretur Christus, veller etiam omnia requisita ad merendum; sed unum ex requisitis est, quod non habeant peccatum, & quod habeant sanctitatem intrinsecam, vel extrinsecam; ergo ex vi decreti illius veller Deus, quod voluntates ita constitutae, quotiescumque mereatur Christus, non haberent peccatum, sed sanctitatem intrinsecam, vel extrinsecam; exinde autem inutilis prorsus est Adversariorum ratio, & distinctio; ergo &c. Ex dictis.

107. Fit 1. contra Bonasp. non sufficiere, quod voluntas constituta in Christo tanquam in capite, esset in statu pure naturae, ut merente Christo mereretur de condigno; sed ulterius requiritur, quod sit intrinsecum, vel extrinsecum sanctificata. Ratio est, quia meritum de condigno non solum requirit libertatem, sed etiam dignitatem personae merentis, quae; sicut debet esse extrinsecum libera, quatenus imputatur ipsis ex vi decreti divini libertas capitum; ita debet esse extrinsecum sanctificata, quatenus ex vi decreti divini imputatur illi illius sanctitas. Unde, sicut ratio formalis imputatae libertatis stareret in eo decreto divino; ita etiam ratio formalis imputatae sanctitatis, & sicut posita libertate capitum veller Deus per suum decretum, quod

reputaretur libera, ita posita sanctitate capitum veller Deus per suum decretum, quod reputaretur sancta. Itaque in hujusmodi imperitione non adest illa implicatio, ut constat ex iis, quae dixi in Tract. de justific. de sanctit. extrinsec. num. 5.

Fit 2. Non posse voluntates nostras constitui in Dei voluntate tanquam in capite in ordine ad merendum. Ratio est, quia, ut voluntates nostrae ita constituerentur, necesse erat, quod merente Deo, & nos mereremur; sed hoc essentialiter repugnat; cum Deus non possit mereri; ergo &c. Confirmatur. Ut aliquis possit mereri apud alium, necesse est, quod in ordine ad actionem obsequiosam non recinet dignitatem, ratione cuius actio ab eo elicita cedens in bonum alterius, non esset obsequium, sed favor. Sic contingere in casu, quo homo dignior ut procurator inferioris faceret obsequium minus digno; dignitates enim humanarum naturalis, rum supernaturalis, cum sint accidentiales hominibus, ab ipsis facile deponi possunt quoad alterius obsequium; atque Deus non potest deponere suam dignitatem, neq; quoad actionem aliquam ipsam non retinere; cum non sic accidentaliter, sed essentialiter Dominus suarum creaturarum; ergo &c. Unde Deus poterit per suam voluntatem causare in homine effectus procedentes ex dominio, quales sunt obligatio tanta, quanta oritur ex voto, contractu &c. secus autem effectus proveniens ex subjectione, quod notare debuit Oviedus, ne incontinenter procederet, ut redarguit Bonaspes supra citatus.

Objic. 1. Nequit homo per sanctitatem capitis sanctificari; ergo neque per ejus dignitatem dignificari. Probat. ant. Nequit dealbari per albedinem capitis; ergo neque sanctificari per capitis sanctitatem. Rerorquo argumentum. Nequit dealbari per albedinem capitis; ergo neque peccare per peccatum capitis, neque mereri per meritum capitis. Relp. deinde dist. ant. per sanctitatem capitis nude sumptam, conc. per sanctitatem capitis ex decreto divino ipsis imputaram, neg. ant. & conseq. Ad probationem concessis antecedenti nego conseq. Quia albedo est forma pure physica, adeoque ullus effectus suppleri nequit per actum divinæ voluntatis, sive per imputationem moralem; sanctitas vero importat effectum moralem, qui per decretum Dei, & imputationem moralem suppleri potest, ut constat de justificatione

109. Objic. 2. Si posset homo per meritum capitis mereri, posset etiam satisfacere de condigno pro peccato; esset enim tam sanctus, quam caput; cum ipsis imputaretur sanctitas, & meritum capitis: posset enim constitui ut caput Christus Dominus, qui est infinitè simpliciter sanctus, & condigne satisfaciens pro peccato. Sed haec in una puro homini repugnat, ut constabit in Tract. de Incarnat. & ex SS. PP. dictibus, Christum non potuisse afferre nobis remedium, nisi esset Deus; ergo &c. Respon-

der

det Bonaspes, conc. maj. imò admittendò posse homines constitui in Deo tanquam in capite in ordine ad merendum, & sic satisfacete de condigno pro peccato mortali, nimurum per actum divinæ voluntatis, in qua continentur tanquam in capite. Ad auctoritates verò PP. dicentium, non posse purum hominem satisfacere pro mortali, Responderet disp. 1. de Incarnat. dub. 5. resolut. 2. intelligendas esse de satisfactione hominis facta per actum physicè proprium; non verò de satisfactione radicali, & in Deo tanquam in capite mortali. Quapropter docet, eas auctoritates intelligendas esse in praesenti providentia, non verò in alia.

111. Hac autem responsio multum displiceret, quia homines non possunt constitui in Deo tanquam in capite in ordine ad merendum, ut ex num. 108. 2. quia datò, quòd ita constituerentur in Deo, vel in Christo Domino, non posset purus homo constitutus in Deo, vel in Christo tanquam in capite, mereri tantum, quantum Christus, vel Deus, sed solum tantum, quantum meretur ipse, si actionem illam exerceret, ut ex num. 102. atqui per se purus homo, si per se ipsum illas actiones exerceret, non posset de condigno satisfacere pro mortali, ut constabit ex Tractat. de Incarnat. ergo &c.

112. Tertio, quia valor proprius ex majori dignitate physica personæ operantis desumprus, nequit per sonam in illa constitutæ tribui per solum actum voluntatis, quo in ea constituitur tanquam in capite: denominatio enim physicam formam requirentes nequeunt suppleri ab extrinseco. Sic, licet Deus possit per actum suæ voluntatis Petrum sanctificare, & illum reddere filium adoptivum, & constitutum in Christo tanquam in capite, nequit per solum actum voluntatis reddere Petrum filium proprium, aut naturalem Dei, quod habet Christus, ex eo, quòd denominatio filij proprij, & naturalis non sit denominatio moralis, sed physica exigens unionem physicam inter Deum, & hominem; atqui opera Christi esse condignam satisfactionem pro mortali desumitur ex valore accepto à dignitate talis personæ; ergo Petrus in Christo constitutus non posset per sua merita satisfacere de condigno pro mortali. Hinc

113. Respondeo ipse ad argumentum; neg. maj. quia purus homo constitutus in Christo tanquam in capite per decretum Dei, ex eo, quòd esset purus homo, non posset mereri merente Christo tantum, quantum meretur Christus, sicut non posset ex vi illius decreti manere filius Dei proprius, aut naturalis, ut est Christus. Quapropter dignitas, quæ in meritum refunditur ex dignitate filij proprij, aut naturalis non posset puro homini tribui; tribueretur autem illi valor meritorius juxta dignitatem personæ extraneæ, sive filij per divinum decretum adoptati; cum autem valor meritorius correspondens dignitati personæ extraneæ, sive in filium Dei extrinsecè assumptæ non posset esse æqualis satisfactio pro mortali, ut con-

stabit ex tract. de Incarnat: hinc sit, purum hominem constitutum in Christo tanquam in capite, neque esse tam sanctum, quam Christus, neque posse de condigno satisfacere pro mortali, licet reverè satisfaciat de condigno pro mortali ejus caput, quod est Christus.

S E C T I O VII.

Quænam requiratur honestas in actu meritorio.

Certum est apud Theologos, actum apud Deum meritorium esse honestum, & moraliter bonum. Ratio est: quia meritū apud Deum est obsequium Dei, ideoque Deo placens; sed actus Deo placens deber esse moraliter bonus, & honestus; ergo &c. 2. quia actus meritorius est dignus præmiū, quod non habere, nisi esset honestus; si enim esset pravus, non esset dignus præmiū, sed suppliciū; si autem esset indifferens, neque esset dignus præmiū, neque suppliciū; ergo, ut sit meritorius, & honestus, debet esse moraliter bonus, & honestus. His positis multiplex in praesenti occurrit difficultas.

Prima difficultas est, an requiratur ad meritum honestas charitatis, vel sufficiat honestus cuiuscunq; virtutis supernæ. Prima sententia docet, solum actum charitatis esse meritorium de condigno gratiæ, & gloriæ essentiale; actus verò aliarum virtutum, etiā a charitate imperatos tantum addere meritum præmij accidentalis. Ita Bonaspes 2. 2. quæst. 14. art. 6. dub. 5. cui multum faver D. Thomas part. 1. quæst. 45. art. 4. Secunda sententia tenet, actus virtutum moralium esse eriam meritorios de condigno apud Deum, si à charitate imperentur; fecus autem absque imperio charitatis saltem virtuali, ita communiter Thomistæ, quos sequuntur Contenson differt. 4. c. 1. & Scotistæ, quos sequitur Durandus disp. 2. q. 6. Tertia sententia docet, actus supernos virtutum moralium à justo cum perfecta libertate elicitos esse de condigno meritorios apud Deum, quamvis à charitate non imperentur. Ita Amicus, Tanner, Arriaga, Ovied. & Nostr. communiter cum Exim. Doct. l. 12. c. 9. art. 10.

Pro resolutione suppono cum Exim. Doct. l. 12. c. 9. num. 5. omnia, quæ procedunt à Deo ut Auctore supernaturali ordinari ad ipsum ut supernaturalem finem intrinseca, & supernaturali ordinatione. Ratio esse potest 1. quia Ens supernaturale quæ tale constitutum ex eo, quòd ex intrinseca sua natura conducatur ad perfectam possessionem Dei; ergo ex intrinseca, & naturali ordinatione sua ordinatur ad Deum ut supernaturalem finem. 2. quia omnis actus virtuosus saltem à posteriori est intrinsecè conformis bonitati divinæ, & Deo ultimo fini placens; proinde actus virtuosus supernus ut ex natura sua est conformis bonitati divinæ.

divinæ, & placens Deo ultimo fini ut Autori superno; sed exinde omnis actus supernus virtuosus intrinseca, & naturali sua ordinatiōne ordinatur ad Deum ut supernaturale finem; ergo &c. Quapropter quæstio præfens non est de hac intrinseca ordinatione, sed de ordinatione extrinseca à charitate proveniente sive formaliter, sive virtualiter.

117. Suppono 2. Ordinationem charitatis intrinsecam, prout ad præfens attinet, duplēcēm esse, scilicet formalēm, & virtualem; ordinatio formalis habitualis stat in eo, quod ille, qui elicit actum virtuosum supernum, habuit habeat charitatis. Hanc autem ordinationem saltem de facto necessariam esse ad meritum condignum, certum est apud omnes; cum meritum condignum non detur absque dignitate gratiæ, & gratia de facto non reperiatur in subiecto absque habitu charitatis. Quapropter neque in hoc sensu procedit præfens controversia, ordinatio formalis actualis stat in eo, quod actus charitatis actualiter imperat actum virtutis moralis, qui elicitur; virtualis verò stat in eo, quod aliquis affectus manans ex actu formali charitatis præterito ordinat actum virtutis moralis nunc elicitum, & in hoc dupli sensu procedit præfens controversia; licet plures aliae possint ordinationes charitatis excogitari; quæ ad rem non pertinent. Videantur Exim. Doct. 1. 1. num. 1. Oviōd. Tractat. 9. controverse part. 3. num.

29. Affero cum tercia sententia: ut actus virtutum moralium supernaturalium sint de condigno meritorij vitæ æternæ, non requirunt imperium actualē, aut virtuale charitatis. Probat 1. Non potest dari imperium actualē charitatis, quin detur actus charitatis actualiter imperans, neque dari potest imperium charitatis virtuale, quin ex actu charitatis præterito maneat de facto aliquis affectus imperans actum virtutis; atqui actus supernus virtutis moralis, ut sit de condigno meritorij, non requirunt, quod de facto detur actus charitatis imperans, neque quod detur effectus ab actu charitatis relitus imperans; ergo non requirunt imperium charitatis actualē, neque virtuale. Probat. min. Quin detur talis actus charitatis, aut talis charitatis effectus, sunt supernaturales actus virtutum supernaturalium, & eliciuntur cum perfecta libertate ab homine iusto; sed actus supernaturales cum perfecta libertate elicitur ab homine iusto sunt de condigno meritorij vitæ æternæ; ergo &c.

119. Probat. 2. Tale imperium actualē, aut virtuale charitatis non requiriur ex lege Dei, neque ex natura rei; ergo nullo modo requiriatur. Probat. ant. quod primam partem. Ut opera superna libera iuxta legem Dei sint meritoria de condigno, sufficit, quod fiant in Deo, sive ab homine per gratiā habitualem in Deo manente, & quod ab actuali Dei gratia, quam Christus, ut caput influit in membra; sed ad

hoc opus non est imperio virtuali, aut actuali Charitatis; ergo &c. min. & conseq. tenent, maj. pater ex Tridentino sess. 6. c. 16. dicente: *Cum enim ille ipse Christus IESUS tanquam Caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsis Justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona corum opera semper antecedit, comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possunt, nihil ipsis Iustificatis credendum est, deesse amplius, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinae legi pro bujus vita statu satisfacere, & vitam aeternam suo etiam tempore, si ita in gratia decesserunt, consequendam, verè promeruisse censemur; ergo &c.*

Probat. jam idem ant. quoad secundam partem. Nulla ratio assignari potest, ob quam duplex relatio ejusdem actus in eundem finem sit necesse; atqui, ut constat ex num. 116, in actibus supernis virtutum moralium est intrinseca relatio in ultimum finem; ergo nulla est ratio, ob quam requiratur alia ordinatio ex imperio formalis, aut virtuali charitatis. Confirmatur 1. Ipsi actus non solum sunt physicæ, sed etiam moraliter boni superni, & honesti, & liberi; ergo ex intrinseca natura, & bonitate sua denominant operantem supernaturaliter bonum, & liberum; ergo simili cum gratia absque alia ordinatione possunt esse meritorij de condigno. 2. Ex Tridentino sess. 6. Can. 17 dicente: *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Christo fuerint facta, exspectare, & sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, & IESU Christi meritum, si bene agendō, & divina mandata cū studiō usque in finem perseverarint, Anathema sit.* In hoc etiā textu Concilium expōnit meritum condignum absque tali imperio formalis, aut virtuali charitatis.

Objic. 1. Scriptura hortatur nos, ut omnia propter gloriam Dei operemur, ut apud ipsum vitam aeternam mereamur; ergo requiruntur ad meritum condignum ordinatio operis ad Deum; sed hæc non datur absque imperio formalis, aut saltem virtuali charitatis; ergo &c. 2. Nullum opus potest esse de condigno meritorij seclusa promissione Dei; ergo neque seclusa oblatione operantis; sed hæc sit per imperium charitatis; ergo &c. 3. Ut opus sit de condigno meritorij, necesse est, ut cedat in obsequiū Dei remunerantis; & ad ipsum tanquam ad supernaturalem finem ordinetur; sed hoc præstari non potest in virtutibus moralibus absque imperio charitatis; ergo &c. 4. ex Apostolo 1. Corinth. 13. *Sine charitate nihil proficit;* ergo &c. 5. ex D. Th. p. 1. q. 95. art. 4. dicente: *Meritum præmij essentialis perfari ex radice charitatis;* ergo &c.

Respondeo ad primum dist. conseq. ordinatio intrinseca, conc. extrinseca, neg. conseq. & dist. eodem modo min. subsumpt. nego conseq. quia ordinatio intrinseca actus in Deo non stat in imperio charitatis, sed in ipsa natu-

R. P. Gormaz Thloeg. Tom. I.

120.

121.

122.

natura actus supernaturalis honesti, ut ex n. 116. Ad secundam dist. conseq. seclusa oblatione consistente in intrinseca ordinatione ipsius actus in Deum, conc. extrinseca, nego conseq. & min. subsumptam. Ad 3. dist. præmisilius eodem modo nego conseq. Ad 4. dico, Apostolum ibi loqui de gratia, vel de charitate habituali, quæ semper comitatur justum, ut ex num. 117. non verò de imperio actuali, aut virtuali charitatis, ut ex ipso textu constat. Ad 5. dico, eodem modo intelligendum esse D. Thomam, nec debere aliter explicari, cum hæc sit mens Tridentini, ut ex num. 119. & ex ipsa ratione facile comprobatur.

123. Secunda difficultas est, an meritum debeat esse opus supererrogationis, id est opus non præceptum. Aslero cum omnibus Theologis, non requiritur, quod meritorum sit opus supererrogationis, sed potest esse opus præceptum. Probat. facilè. In Scriptura promittuntur præmia operationibus supernis liberè à justo eliciti, ex illo Eccle. 31. *Qui patuit transgredi, & non est transgressus; sed, licet opus sit præceptum, potest à iusto liberè eliciti; cum præcepta Dei libertatem non tollant; ergo &c.* Confirmatur. In Scriptura, & Tridentino citat. n. 120 promittuntur præmia vitae æternæ servantibus mandata; ergo &c. Imò notat optimè Arriaga disp. 35. num. 7. opus præceptum, cum ad tollendum peccatum addat meritum obedientiæ, cæteris paribus, opus præceptum ex magis meritorum, quam non præceptum.

124. Objic. 1. Lucae 17. ait Christus, *Cum feceritis omnia, que præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus; ergo opera præcepta non sunt meritoria.* 2. servus in rebus præceptis obediens Domino non meretur mercedem; ergo neque homo in præceptis obediens Deo merebitur præmium. Resp. ad primum, neg. conseq. quia, ut ex n. 4. solum dicimus servi inutiles, quia per nostra merita Deus nullam accipit utilitatem, & quia non possumus solis nostris viribus ea operari; non autem dicimus servi inutiles, quia nostra opera præcepta non sunt meritoria; cum eorum meritum dari, constet ex Scripturis, auctoritate, & ratione. Ad secundum negat Arriaga ant. quia homo privatus tenetur cum vita periculo Regem periclitantem salvare; nihilominus id faciendò magnam mercedem meretur apud Regem. Respondeo ipse cum communi transm. antec. & neg. conseq. quia homines magis attendunt ad propriam utilitatem, & comoditatem, quam ad laudabilitatem operantis. Deus verò non attendit ad propriam utilitatem, & comoditatem, sed ad laudabilitatem operantis.

125. Tertia difficultas est, an impedit meritorum operari intuitu mercedis, vel an sit necessarium propter mercedem operari. Aslero cum omnibus Theologis, non requiritur ad meritum operari propter mercedem, neque ita operari tollit meritum. Probat. facilè prima pars. Actus charitatis sunt meritorij; sed non sunt

intuitu mercedis; ergo &c. Probat. secunda pars. Expluribus Scripturæ locis, cílicet Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendā iustificationes tuas propter retributions; ergo &c.* Confirmatur. Non impedit meritorum honeste operari; sed operari propter mercedem æterna beatitudinis est honestum; ergo &c. Probat. min. Æterna beatitudo est naturæ rationali ut rationali conformis; sed operari conformit ad naturam rationalem ut rationalem, est honestum; ergo &c. Unde, licet sit servile operari propter præmia temporalia, non est servile, sed gloriosum operari propter præmia æterna; licet non sit adeò perfectum, quād operari unicè propter Deum summè dilectum; cum ipse sit nobilissimus inter omnes affectus animæ.

Quarta difficultas est, an ad meritum requiriatur actus ita bonus, ut non sit extrinsecè malus? hæc difficultas locum non habet in nostris principiis: dicitur enim in Tract. de virtut. repugnare actū virtuosum extrinsecè malū, permisso tamen pro nunc tali actu. Resp. illum non foris meritorium. Probatur ex Christo Domino Math. 6. dicente: *Attende, ne iustificam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in Cœlis est; ergo opus est bonum, extrinsecè autem v. g. ex fine vanæ gloriae malum, non est meritorium.* Confirmatur 1. Opus prohibitum non est meritorium; sed opus ex se bonum, & extrinsecè malum, est opus prohibitum; cum Deus prohibeat facere opus bonum ex fine malo; ergo &c.

Objic. ex Ripalda. Ordinatio ætema ex finie vanæ gloriae non tollit bonitatem, libertatem, & supernaturalitatem actus misericordie; ergo actus misericordia, licet extrinsecè malus, est meritorius. Confirmatur. Si opus extrinsecè malum privaretur merito, est miserima conditio nostra; cum tam facile actus boni imperentur ab affectibus pravis; ergo &c. Resp. dist. primum ant. non tollit libertatem transcendentalem, transseat, imputativam, ne go ant. & conseq. quia, ut actus elicunt agenti suo in bonum imputetur, requiritur, quod non sit prohibitum, qualis est actus extrinsecè malus: tunc enim non imputabitur agenti suo in bonum, sed in malum, cum malum ex quocunque defectu. Ad confirmationem nego ant. nam libertatem habemus ad operandum, ut operari debemus absque fine malo: si autem efficiemur miserrimi, non quidem ex nostra natura, sed ex prava nostra voluntate.

Ultima difficultas est, an quilibet actus libenter honestus, & supernus, eti remissus habeat rationem meriti? multiplex est sententia. Prima docet, actus minus intenso, quam gratiam non mereri augmentum gratiae, neque gloriae. Ita Bannez, & alij, quos sequitur Boncompus Tractat. 4. disp. 4. q. 12. Secunda docet, actus remissiores quam gratiae non mereti augmen-

tum gratiæ, bene verò gloriæ. Ita Durandus dist. 17. quæst. 8. Tertia tenet, actus remissio remissio gratiæ mereri augmentum gratiæ; non verò charitatis. Ita Victoria, Soto, Medina, & alij Thomistæ.

129. Quarta propugnat, quemlibet actum, erit remissio gratiæ, mereri augmentum gratiæ, & charitatis non conferendum statim, sed in instanti mortis, ut cum Soto tenent aliqui Scottiæ, vel in instanti glorificationis, ut cum pluribus Thomistis defendit Gonnet. disp. 10 de virtut. Theol. art. 3. vel in utroque instanti mortis simul, & glorificationis, ut censet Durandus disp. 6. de virtut. quæst. 4. vel nuncquam conferendam; nisi homo in hac vita augmentum intensiore eliciat, ut censet Cajetan. Capreolus. & Conrad. Quinta tenet, per actum remissum mereri augmentum gratiæ, & charitatis, quod statim conferatur, & augmentum gratiæ illi correspondens suo tempore decedentibus in gratia, conferendum. Ita Suarez l. 9. c. 4. Coninck, Amicus, Ovied. Ripalda disp. 9. fest. 7. & alij communiter cum Arriaga disp. 51. fest. 2.

130. Afferro cum quinta sententia, per actum remissorem gratiæ meretur homo augmentum gratiæ, & charitatis, & gloriæ. Probatur 1. ex Script. Math. 10. *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigide, non perdet mercedem suam.* 2. Corinth. 4. *Momentaneum hoc, & leve tribulationis nostra aeternum gloria pondus operatur in nobis,* & cap. 9. *Qui parè seminat, parè & metet.* 1. Corinth. 3. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiat secundum suum laborem.* Modò sic. In his, & similibus Scripturæ locis dare significatur hominem per sua opera, erit remissa mereri preium gratiæ, & gloriæ; ergo &c. Confirmatur pluribus Concilior. & PP. auctoritatibus, quas expendit Arriaga l. suprà cit. sufficiat pro nunc Tridentium cit. num.

131. ubi docet, respondere Dei remuneracione omnibus operibus bonis à justo elicatis; ergo &c.

132. Probat. 2. Actus illi, quamvis remissi eliciti à justo, sunt supernaturales honesti, & liberi, sed non requiritur aliud, ut sint meritorij gratiæ, & gloriæ; ergo &c. Probat. min. ex Tridentino. fest. 6. Can. 36. dicente: *Si quis dixerit, ipsum justificatum bonis operibus, que ab eo per Dei gratiam, & JESU Christi meritum, cuius vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam eternam, & ipsius vita aeterna consecrationem, si tamen in gratia deferit, atque etiam gloria augmentum, Anathema sit.* Confirmatur. Si per actus remissiores gratiæ non posset homo mereri augmentum gratiæ, & gloriæ, major sanctitas subjecti esset subiecto impedimentum ad merendum; sed hoc est absurdum; ergo &c. Probat. maj. Si Petrus haberet gratiam infusam ut sex, & eliceret actum virtuosum intensum ut quinque, non mereretur augmentum gratiæ, neque gloriæ;

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

si verò Paulus haberet gratiam intensam ut quatuor, & eliceret actum virtuosum intensum ut quinque, mereretur augmentum gratiæ, & gloriæ. Ex his facile impugnabis triplicem Adversariorum sententiam.

Afferro contra quartam sententiam. Aug-
mentum gratiæ, quo quisque per suos actus meretur, conferetur ipsi in hac vita statim post merita. Probat. 1. ex Trident. fest. 6. cap. 10. dicente: *Hominem per bona opera in accepta iustitia crescere, & magis justificari, rum etiam fest. 6. cap. 16. ut ex num. 119 loquitur Tridentinum, de augmento gratiæ, & gloriæ cum hac distinctione, ut de gloria dicat, dati suo tempore; de gratia autem collatione nullum tempus limitat, quod signum est, eam ex mente Tridentini statim conferri; aliter frustra distinctionem illam induxisset; ergo &c.* 2. quia nullum est fundamentum urgens ad dicendum, gratiam respondentem actibus remissis non conferri usque ad instanti mortis, vel glorificationis; immo congruum videretur ex persuasione fiducium non differri ergo ex hoc solo capite sufficienter improbat hæc sententia.

Respondent Thomistæ, gratiam dupliciter considerari, primò moraliter, quatenus homo per bona opera acquirit novum jus ad majorem gloriam, ad quam acceptatur à Deo, in quo sensu statim augetur, cum statim acquirat justus per sua bona opera tale jus, & Deus accepteret, & sic explicent Tridentinum. Secundò. Physicè in esse habitus, & qualitatis, in quo sensu non augatur usque ad instanti glorificationis, in quo homo elicit intensissimum, & ferventissimum charitatis actum. Fundamentum eorum est, quia homo non recipit augmentum gratiæ, donec ad illud recipiendum sit dispositus, at nō est dispositus per actus remissos, usque dum in ingressu patrie intensissimum charitatis actum eliciat.

Contrà tamen 1. In sententia Thomistarum negantium possibiliterum justificationis per formam extrinsecam, non potest homo fieri sanctus per esse extrinsecum morale gratiæ absque usu physico, & intrinsecō ipsius; ergo neque poterit in accepta iustitia crelcere, ut ait Tridentinum per solum augmentum morale absque augmento physico ejusdem gratiæ. 2. Sic, quando Tridentinum ait, hominem in accepta iustitia crescere, posset interpretari de augmento solo morali absque augmento physico, etiam quando dicit, gratiam primò infusam inhærentem, explicari posset de inhærentia morali, absque inhærentia physica; sed hoc est hereticum; ergo &c. 3. Plus est habere gratiam secundum esse morale, & secundum jus acquisitum ad gratiam & gloriam, quam secundum esse physicum; sed per vos homo per actus remissos sufficienter disponitur ad augmentum gratiæ secundum esse morale, ergo etiam secundum esse physicum. 4. Meritum condignum gratiæ est sufficiens dispositio ad recipiendum augmentum physicum gratiæ; ergo &c. 5. Amor beatificus saltem in hac

Uuu 2

lege

lege Dei nullatenus est meritorius, sed intrinsecè necessitatus, ut ostendetur in Tractat. de charit. & est de constitutivo formalis gloriae; sed, quod nullatenus est meritorium, non est dispositio ad gratiam; imò gloria non est dispositio ad gratiam, sed econtra gratia est dispositio ad gloriam; ergo &c.

135. Objic. 1. Apocal. 3. reprehenditur Episcopus Ephesinus tepidè operans, ac proinde sic operans non erat dignus præmiò; sed tepidè operati est actus remissos elicere; ergo &c. Confirmatur 1. Quia sic præmiaretur negligentia operandi; ergo &c. 2. Daretur ansa ad omissandos actus intensiores; ergo &c. 3. Actus remissiores morales non augent habitum naturalem; ergo neque actus remissiores superni augebunt habitum supernum. 4. Augmentum gratiae, & gloriae in justis frequentissime se remisso exercentibus esset pene incredibile; ergo. Resp. dist. maj. reprehenditur, quia tepidè operans ex affectu interno malo, conc. quia actus remissi in se sunt mali, nego maj. & distincta min. neg. conseq. quia ille Episcopus per actus, quantumvis remissos, apparebat extrinsecus bonus; ex pravo autem affectu, quo illos eliciebat, erat intrinsecus malus. Vide Tirimur hunc locum ita exponentem, sed quia tepidus est, qui est partim bonus, partim malus; malus occulte, apparenter bonus; quapropter justè reprehenditur; sed quid inde contra nos?

136. Ad primam confirmationem nego ant. quia non præmiaretur negligentia, sed bonitas positiva operis. Ad secundam neg. ant. quia, cum ex ea omissione amitteretur majus præmium, sufficiens motivum habemus ad procurandos actus intensiores. In sententia vero contraria præberet ansa diffidentiae; cum semper essent homines anxi, & dubij; an eorum actus superaverint intensionem habituum. Ad terram confirmationem neg. ant. nam, ut dixi in Tractat. de habitibus, actus naturales, eti remissiores, intendunt etiam habitum; alij antecedente permisso negant conseq. quia actus naturales augent habitum effectivè, quod requirit aequalē saltē intensionem cum effectu; actus vero superni non augent habitum effectivè, sed moraliter, & influxus moralis non requirit intensionem aequalē cum effectu. Ad quartam dist. ant. esset pene incredibile, si cum frequentia pene incredibili ita operarentur, conc. si non tam frequenter ita operarentur, neg. ant. & conseq. Hæc enim suader Scriptura docens, mercedem oporum justorum esse magnum nimis.

137. Objic. 2. Deus non puniit in hac vita actus malos; sed immediatè post mortem; ergo neque præmiat actus remissos augmentò gratiae in hac vita, sed in instanti mortis, & in ingressu alterius vitae. Resp. Rerorq. argument. Deus non puniit in hac vita actus peccaminosos intensos; ergo neque præmiat augmentò gratiae in hac vita actus virtutum intensos. Resp.

deinde dist. ant. non puniit supplicio æterni, & finali, conc. temporali, nego ant. & conseq. Plurima enim supplicia, ut legimus in Scriptura, immisit Deus propter peccata, à quibus homo, dum est in via, potest refugere. Sic etiam, dum est in via, recipit plurima premia gratiae, quæ potest amittere; imò panis nulla est, quia Deus habet decretum non conferendi supplicium finale inferni usque ad mortem; cum tunc exerceatur judicium iuxta illud ad Hebreos. 9. Statutum est hominibus semel mori, & post hoc judicium; at vero circa præmium augmenti gratiae non est tale decretum; imò ex Script. & Concil. inferni statim, ut constat ex dictis.

S E C T I O VIII.

De supernaturaliitate, & influxu positivo ad meritum Theologicum requiuita.

Certum est, opus Theologicè meritorium, quo meremur apud Deum gratiam, & gloriam, esse supernaturale, ut docent omnes Theologi contra Pelagianos, qui dicebant, hominem solis naturæ viribus posse operari, prout oportet ad salutem; tum etiam contra aliquos citatos antiquos Theologos apud Ripaldam disp. 17. fest. 1. & contra Semipelagianos, seu Massilienses, qui dicebant, posse hominem solis naturæ viribus operari, prout oportet ad salutem. Ratio, cur opus Theologicè meritorium debeat esse supernum, est, quia ad illud efficiendum non sufficiunt solum vires naturales, sed requiruntur supernæ ex Script. Concilij & PP. ut latè ostendit Suarez, tor. lib. 1. & 2. de gratia. Sic Tridentin. fest. 6. can. 2. Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per IESUM Christum dari, ut facilius homo inferiatur, ac vitam eternam promoveri posset, quod si per liberum arbitrium sine gratia uirumque, sed ageret tamen, & difficulter posset, Anathema sit. Vide etiam Arausican. cit. num. 2.

Difficultas vero, quæ in hac prima parte fictionis controverti solet à Theologis, est, quanam debeat esse ista supernaturale? plures sunt sententiae. Prima docet, sufficere supernaturalem extrinsecam confidentem in eo quod actus entitativè naturalis procedat à fidè, & ab imperio superno, & recipiat obiectum supernum. Licet hæc sententia non explicit satis, an in actu naturali confitatur meritorum formaliter, an solum objectivè, ut videri potest apud Suarez l. 12. c. 10. num. 15. Secunda sententia docet, requiri, quod actus naturalis imperetur à charitate superna. Ita plures Scotistæ, & Thomistæ. Tertia defendit, sufficere, quod subiectum sit in statu gratiae, & latitatis. Ita Soro, Victoria &c. Quarta sufficere, quod actus naturalis procedat ab auxilio, et si quoad entitatem naturali, quoad modum superno. Ita Vasquez cum aliis. Quinta. Actum meritorium debere esse intrinsecè quod sub-

substantiam supernaturalem. Ita Molina, Ripalda, Arriaga, Ovied. & communiter Nostr.

40. Astero cum quinta sententia. Actus meritorius gratiae, & gloriae est entitativè supernaturalis. Probat. 1. Gratia per Jesum Christum accepta ad eliciendam actionem salutarem, seu gratiae, seu gloriae meritorum non solum est necessaria ad eliciendam actionem productivam talis actus; verum etiam necessaria est ad eliciendam ipsam entitatem aetatis; ergo actus gratiae, & gloriae meritorius non solum extrinsecè, sed etiam entitativè, & intrinsecè est supernaturalis. Consequenter tener, quia actus, qui elicere non potest viribus naturae, sed necessariè requirit gratiam supernaturalem, ut fiat, non est actus ordinis entitativè naturalis, sed supernaturalis. Probat. ant. ex Tridentino cit. num. 138. nullo modo potest homo elicere operationem vitae aeternae meritoriam, quia justè vivat absque gratia per Christum accepta; sed operationem, quia justè vivat, & vitam aeternam promeretur, non est sola actio, sed etiam actus ab actione productus; ergo &c.

41. Confirmatur ex Arausian. cit. num. 1 debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia praecedit, ut fiant; atque bona opera, quibus debetur merces, non solum sunt actiones, sed actus ab actionibus producti; ergo &c. Confirmatur 2. ex Trident. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit sine preuenientia Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut paenitentie posse, sicut oportet, ut ei justificatiois gratia conferatur, Anathema sit.* Ex quo sic arguo. Credere, sperare, & diligere, sicut oportet, non solum est elicere actionem, sed etiam actum fidei, spei, & dilectionis; atque ad credendum, sperandum, & diligendum, sicut oportet, est necessaria gratia; ergo non solum ad actionem, sed etiam ad actum meritorium, vel salutarem est necessaria gratia. 3. Credere, sperare, diligere, sicut oportet, dicit actum, & actionem; ergo, sicut dicit actionem entitativè supernam, dicit etiam actum entitativè supernum.

42. Probat. 2. In Concilio Viennensi definitur existentia virtutum per se infusarum, ut ex n. 31 de justific. ac proinde de facto dantur virtutes per se infuse, vel saltem negari non potest, id esse probabile; atque, si actus salutares non essent intrinsecè superni, oris effici habitus per se infusi; ergo &c. Probat. min. habitus per se infusi in eo distinguuntur ab habitibus acquisitis, quod habitus acquisiti non requirantur ad simpliciter posse elicere suos actus, sed ad facilius posse; habitus vero per se infusi requiruntur ad simpliciter posse; atque, si actus salutares non essent intrinsecè superni, non requirerentur habitus ad simpliciter posse elicere tales actus; cum actus intrinsecè supernaturales possent fieri à potentia naturali; ergo &c. Omnitio plura, quae dicta sunt in Tractatu de auxil.

Circa secundam sectionis partem difficultas est, an ad opus meritorium gratiae, & gloriae requiratur actus positivus, vel an pura omissione libera posset esse gratiae, & gloriae meritoriae? prima sententia docet, puram omissionem liberaliter posse esse meritoriam gratiae, & gloriae. Ita plures Recentiores cum Ripalda disp. 70. Secunda sententia negat. Ita Suarez, Vasquez, Arriaga disp. 13. sect. 2. pluresque alii apud Ovied, Tractat. 9. §. 3. punct. 2. In nostris principiis locum non habet praesens controversia; ut dixi etiam alibi, impossibilem esse puram omissionem liberaliter; quapropter nullatenus potest esse meritoria; ceterum supposita pro nunc eius possibilitate,

43. Astero cum secunda sententia, nequit dari pura omissione gratiae, & gloriae meritoriae. Probat. 1. Operatio meritoria gratiae, & gloriae debet esse intrinsecè, & entitativè supernaturalis, ut ex num. 140. atque pura omissione non est intrinsecè supernaturalis; ergo &c. Confirmatur. Operatio intrinsecè supernaturalis dependet intrinsecè à principio supernaturali; sed pura omissione, cum nihil sit, nequit intrinsecè dependere à principio supernaturali; ergo &c. Confirmatur 2. Operatio meritoria est virtuosa; sed pura omissione nequit esse virtuosa; ergo &c. maj. & conseq. tenent, min. constabat latè ex Tractatu de virt. ubi dicitur, operationem virtuosam talem esse ex motivo undeque honesto: cum enim operatio virtuosa sit bona, & bonum debeat esse ex integra causa, necesse est, quod operatio virtuosa talis sit ex motivo, ex omni causa honesto; sed pura omissione, cum nihil sit, nequit habere motivum, honestum ergo &c.

44. Unde, licet posset dari pura omissione peccaminosa, non exinde daretur pura omissione meritoria, quia ad peccatum, cum sit malum, sufficit quicunque defectus sua linea circa obiectum materiale prohibitorym; licet non attingat meritum morale, sive quia prohibitum; ad operationem vero virtuosam non sufficit attingere obiectum materiale bonum, sed ulterius requiritur, quod attingatur propter motivum bonum; quapropter, qui vult comestionem carnis prohibitam die Veneris, licet non velit illam prohibitionem, peccat; qui autem vult jejunium non propter honestatem, sed propter vanam gloriam, non meretur, propter rationem à nobis datam, ex quo facile potest instaurari nostrum argumentum.

45. Probat. 2. ad hominem contra Ripald. Actus intrinsecè naturalis, & solum extrinsecè supernaturalis per denominationem acceptam ab actu supernaturali imperante non est meritorius gratiae, & gloriae; ergo neque pura omissione intrinsecè naturalis, & solum extrinsecè ab auxilio gratiae supernaturalis poterit esse meritoria gratiae, & gloriae. Respondet 1. Ripald. neg. conseq. quia, cum repugnet pura omissione intrinsecè superna, voluntas in actu primo proximo constituta ad omittendum, solum potest elicere omissionem intrinsecè naturalem, & ex-

trinsecè ab auxilio gratiæ supernaturalem; at verò non repugnat actus positivus intrinsecè supernus, quem voluntas elicit constituta in actu primo proximo ad gratiam; imò voluntas ita constituta non potest non ita se exercere circa objectum honestum; cæterum hæc responsio nullatenus solvit argumentum. Quapropter

147. Contrà 1. Ex eo, quod actus intrinsecè naturalis sit incapax supernaturalitatis intrinsecæ, & solum sit capax supernaturalitatis extrinsecæ, non potest esse meritorius gratiæ & gloriæ; ergo ex eo, quod pura omissione sit incapax supernaturalitatis intrinsecæ, & solum sit capax supernaturalitatis extrinsecæ, non poterit esse meritoria gratiæ, & gloriæ. 2. Ex eo, quod possibilis sit actus intrinsecè supernus, non sufficit ad meritum actus solum supernus extrinsecè; ergo, si possibilis esset pura omissione intrinsecè superna, non sufficeret ad meritum pura omissione superna solum extrinsecè; ergo neque de facto sufficit. Probatur ultima consequentia. Constitutivum semper debet esse idem, ac proinde constitutivum operis meritorii, semper est idem; sed, quia ex Conciliis à nobis ad ductis infertur intrinsecæ supernaturalitas ut constitutiva operis meritorij, actus solum extrinsecè supernus de facto non est meritorius gratiæ, & gloriæ; ergo neque omissione solum extrinsecè superna esset de facto meritoria gratiæ, & gloriæ. 3. Quia pura omissione difficile, vel potius nullatenus concipi potest superna extrinsecè, ut latè contendit Ribadeneira disp. 12 de actib. human. ergo &c.

148. Respondent aliqui Recentiores, non repugnare puram omissionem intrinsecè supernaturalem; cùm dependere possit intrinsecè à cognitione superna proponente motivum omitendi. Contrà tamen 1. Pura omissione, vel est præcisè non esse actum, vel pura carentia actus, ita, ut nullatenus sit ens positivum, sed purum non esse, seu pura carentia, quæ nullatenus sit ens positivum, non potest habere dependentiam intrinsecam à principiis; aliter nihil deficeret illi carentiæ, ut esset ens positivum; ergo pura omissione nequit habere intrinsecam dependentiam à tali superno principio. 2. Voluntas omittens furtum, quando cognitio superna bonitatis divinæ proponit malum furti, potest etiam furtum omittere, quando cognitio naturalis proponit eam malitiam, ita, ut omissione eadem sit in utroque casu. Cùm enim omissione non sit aliquid positivum, nullatenus principia influunt in illum; ergo implicatoria est, & gratiæ confusa illa dependentia intrinsecæ puræ omissionis à principio supernaturali.

149. Objic. 1. contra primam assertionem. Postquam Tridentinum sess. 6. cap. 6. enumeravit conditiones meriti apud Deum, & dixit, opus meritorium esse honestum, factum ex gratia auxiliante, subdidit, nihil amplius illi deesse credendum est; ergo, si opera naturalia honesta sicut ex auxilio gratiæ, essent meritoria gratiæ, & gloriæ. Confirmatur 1. Actus naturalis,

qui à voluntate præventâ gratiæ elicetur, est honestus honestate morali superna constituta ex gratia; ergo habet, quidquid requiratur, ut sit meritorius gratiæ, & gloriæ. 2. Refutatio gravissimæ tentationis, & obseruatio præceptorum naturalium præstari possent per actus naturales, eti ad id requiratur gratia Theologica; ergo tales actus naturales erunt meritorij gratiæ, & gloriæ. Refp neg. conseq. quia gratia, quam exigit Tridentinum ad opus salutare, est, ut fiat opus, quod intrinsecè absque illa fieri non potest, ut ex num. 140. Hoc autem non convenit actibus entitativè naturalibus, utpote potentibus elici absque tali gratia. Ad primam confirmationem tranferantur; & neg. conseq. quia ad opus meritoriorum, ut ex cit. Concil. nobis constat, non sufficit supernaturalitas extrinsecæ, & accidentalis, sed requiritur intrinsecæ. Ad secundam dist. ante, resistentia salutari, sive positivè conducens ad salutem, neg. resistentia non salutari, & solum negativè conducens ad salutem, concant. neg. conseq. quia per actus naturales possumus non assentiri temptationibus, & sic impedire peccatum; nequimus autem per eos operari cum proportione ad præmium intrinsecè supernum, quod requiritur ad opus gratiæ, & gloriæ meritorium: hoc autem solum convenit actibus intrinsecè supernis. Unde actus naturales non deseruntur positivè, sed solum possunt deserire negative ad salutem, quatenus per eos peccata impediuntur; imò ad tales actus entitativè eliciendos perle non est necessaria gratia Theologica; aliter non essent naturales, sed intrinsecè superni.

Objic. 2. Opera naturalia Christi Domini condignificata à personalitate infinita merentur præmium supernaturale; ergo etiam opera naturalia justi condignificata à gratia supernaturali merebuntur præmium supernaturale. Confirmatur. Magis distat meritum puræ humanitatis à præmio unionis hypostaticæ, quam meritum actus naturalis à præmio gratiæ; sed Humanitas Christi potuit in alia providentia per merita antecedentia unionem merari; ergo etiam de facto poterit justus per actus naturales mereri gratiam. Respondent aliqui 1. neg. sibi possum, quia Christus Dominus nullum elicuit actum naturale, sed semper supernaturale, cùm haberet parata semper principia ad ita operandum, & operabatur, quantum perfectè poterat. Respondent alij 2. conc. ant. & neg. conseq. quia dignitas verbi, utpote simpliciter infinita poterat suppleri defectum condignitatis in actu naturali; secus autem gratia habitualis; cùm non sit simpliciter infinitè perfecta. Cæterum istæ solutioines non carent difficultate. Quapropter

Refp. ipse neg. ant. quia Christus Dominus, cùm erat liber ad eliciendos actus naturales, vel supernos, potuit elicere non solum actus supernos, verum etiam naturales; per istos verò non mereretur præmium supernaturale, sed naturale; nam per condignitatem extrinsecam non potest

potest suppleri defectus constitutivi intrinseci; cùm autem de constitutivo intrinseco operis meritorii præmij superni sit intrinseca supernaturalitas, ut constat ex Concil. adductis, nō potuit per dignitatem verbi in actibus naturalibus suppleri defectus intrinseca supernaturalitatis. Ad confirmationem Resp. 1. ex dicendis in Tract. de perfect. Christ. permisæ maj. neg. min. quia nulla pura creatura potest mereri unionem hypostaticam. Resp. 2. dist. maj. magis distant entitativè, conc. in ratione proportionis supernæ, neg. maj. & transmissa min. neg. conseq. quia inter meritum, & præmium non attenditur tantum ad proportionem entitativam, quantum ad rationem proportionis ejusdem lineas five naturalis, five supernæ, sic licet gratia melior sit, quām totus mundus, justus per sua opera meretur de condigno gratiam, quin mereatur de condigno totum mundum.

153. Objic. 3. Si actus naturales à justo eliciti non essent meritorij gratiæ, & gloriæ, major pars operum justi fraudaretur præmio; cùm iusti frequentissimè exerceantur talibus actibus naturalibus, v. g. quando volunt jejunare, dare eleemosinam; sed hoc durum videtur; ergo &c. Resp. neg. maj. quia, cùm iusti ita se exercentes faciunt, quantum est ex se, Deus non denegat illis gratiam, ac proinde concurrevit cum illis, ut tunc eliciant tales actus supernos, & meritorios. Imò Coninch judicat, non posse de facto operari, quin in tali casu eliciant actus supernos; cùm principia superna, quibus instrutus est, non dependeant à suo libitu, ita, ut posset eligere principia naturalia ad concurredum, & non eligere superna; unde, si se determinat, se determinat ad concurredum cum principiis supernis, vel saltem, ut contendit Ripalda, ad eliciendum simul actum naturali, & supernum, cùm ad utrosque habeat principia. Quapropter, licet tunc non mereatur gratiam, & gloriam per eliciendum actus naturalis, meretur illam per eliciendum actus superni.

154. Objic. 4. contra secundam assertionem. Eccles. 31. promittitur præmium supernum ei, qui purè omittit opus prohibitum: dicitur enim: *Qui potuit transgredi, & non est transgressor, facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt opera illius in Domino*; ergo pura omissione operis prohibiti est meritoria gratiæ, & gloriæ. Resp. neg. ant. In eo enim Eccles. loco non promittitur præmium supernum purè omittenti; sed opus prohibitum omittenti per opus supernum, ut constat ex ipso textu addente: *Quis est hic, & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua*. Ex quo clare constat, non promitti præmium supernum ratione puræ omissionis, sed ratione omissionis non puræ, sed positivæ.

Objic. 5. Quando justus graviter tentatur ad furandum, potest illustratus cognitione superna per puram omissionem, & sine actu positivo non furari; sed talis omissione est meritoria gratiæ, & gloriæ; ergo &c. Probat. min. Talis omissione est honesta, procederet ex motivo supernaturaliter proposito, satisfaceret præcepto non furandi, & non posset esse sine speciali auxilio gratiæ, sine quo, ut docent PP. non potest vinci gravis tentatio; ergo &c. Respondeo, permitto maj. nego min. ad probat. nego primam partem antecedentis. Operatio enim honesta specificatur à motivo honesto, & cùm pura omissione non possit habere motu, neque habere potest honestatem, ut ex num. 145.

155. Neque arguit honestatem, quod per eam satisfiat præcepto: nam per actum indifferenter satisfieri potest præcepto. Imò apud plures Theologos per actum leviter malum, ut patet in eo, qui ex fine leviter malo inanis gratiæ audit Sacrum; hic enim non peccat lethaler contra præceptum audiendi Sacrum; ac proinde per actum leviter malum satisfacit tali præcepto; neque talis omissione, licet est extrinsecè honesta, & superna, est meritoria gratiæ, & gloriæ; cùm ad tale meritum requiratur supernaturalitas intrinseca, ut constat ex dictis; ex quo fit, victoriæ gravis tentationis non conducedent ad salutem dari posse absque gratia speciali, licet dari non possit absque gratia victoria per se conducedens ad salutem, in quo sensu loquuntur SS. PP. & non in sensu ab Adversariis intento, aliter eorum autoritas non possit cum auctoritate Conciliorum componi, quod dicendum non est.

156. Objic. 6. Urgente præceptio audiendi Sacrum pura omissione Sacri est mala, & demeritoria; ergo urgente præcepto non furandi pura omissione furti est bona, & meritoria. Probat. conseq. Sic ut omissione Sacri est interpretativa volitio; ita omissione furti est interpretativa nolitio furandi; ergo &c. Resp. concessò antecedente, nego conseq. ad probat. transeat ant. nego consequentiam. Ratio est, quia ad peccandum sufficit nolitio libera rei præceptæ absque motivo ullo malitiæ; & cùm pura omissione interpretativa sit talis, nolitio Sacri jam est mala, & demeritoria. Ad merendum vero non sufficit quilibet actus, quo adimpleretur præcepta, ut ex num. superiori; sed requiritur adimplatio ex motivo honesto; & cùm pura omissione non possit esse interpretativa talis actus, nequitt esse meritoria. Imò ad lethale sufficit actus naturalis, qualis est interpretativa pura omissione; ad merendum vero gratiæ, & gloriæ non sufficit actus naturalis, sed requiritur intrinsecè supernus, qualis pura omissione esse non potest.

DISPUTATIO III.

DE REQUISITIS EX PARTE MERENTIS.

158. Inquirimus præcipuè in hac disputatione ea, quæ se tenent ex parte merentis, & præmiantis. Ex parte autem hominis certum est apud omnes, totam vitam in hoc mundo esse tempus merendi per se, nisi homo sit stultus; post mortem autem etiam ante visionem, & in Purgatorio, & olim in Limbo non esse amplius locum ad merendum. Hæc veritas constat ex pluribus Scripturæ locis, Eccles. 9. Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultro mercedem, ad Galat. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum, 2. Corinth. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria opera, prout gesist, sive bonum, sive malum; & passim alibi, idemque Patres, & omnes Catholici, ut indubitatum supponunt, congruentia ad hanc determinationem præsentis providentia, magnæ sunt. Etenim, cum non esset congruum, ut homo semper in aeternum amplius, & amplius cresceret in justificatione, sic aliquis non posset esse magis justus, quam dum homo est in corpore mortali. Quapropter status viæ necessarius erit ad merendum in actu secundo; pro statu viæ autem intelligitur tempus à Deo destinatum ad ita merendum. Difficultas tamen est, an status viæ, prout significat statum merendi, talis sit ex natura rei, vel solum ex divino decreto? pro cuius resolutione sit

S E C T I O I.

Qualis sit status viæ requisitus ad merendum?

159. Plures sunt sententiae, quas ad duas præcipuas reduco. Prima docet, statum visionis beatificæ esse ex natura rei incapacem meriti; ac proinde non posse ultro illum progredi statum viæ. Ita plures cum Vasquez disp. 26. c. 4. Secunda sententia tenet, ex natura rei nullum esse determinatum statum viæ ad merendum, sed solum ex ordinatione Dei, ita communiter Nostri cum Exim. Doct. I. 12. c. 15. & Arriaga disp. 94. sect. 2. Probat. 1. Si aliquis esset determinatus ex natura rei status viæ ad merendum, maximè statutus visionis beatificæ; sed iste non est; ergo &c. probat min. cum visione beatifica maner Beatus liber ad elicendos plurimos actus supernaturales honestos; sed statutus compossibilis cum libertate, ut justus eliciat plures actus supernos honestos, non excludit ex natura sua statutum merendi; ergo &c. Confirmatur 1. Christus Dominus à primo sua concepcionis instanti habuit visionem beatificam; sed fuit in statu merendi, ergo visio beatifica ex natura sua non excludit statutum merendi. 2. Si meritum exigeret ex intrinseca natura sua carentiam visionis, non posset dari divinitus meritum absque carentia visionis; cum constitutivum intrinsecum suppleri non posset per aliquid extrinsecum. Sicuti, quia meritum exigit ex natura sua intrinseca libertatem, nequit adhuc divinitus dari meritum absque libertate; ac quia statutum dari potentia aboluta potest dari meritum absque carentia visionis, ut pater in Chirillo Domino; ergo &c.

Probat. 2. Nulla assignari potest ratio, propter quam status visionis beatificæ excludat ex natura rei statutum merendi; ergo solum excludit illum ex ordinatione divina. Respondeat 1. Abulensis, statutum beatificum esse incompossibile ex natura rei cum statu merendi, quia ad statutum merendi requiritur libertas ad peccandum, quæ non datur in statu beatifico. Contraria tamen 1. Christus Dominus in hac vita erat in statu merendi; sed non habebat libertatem ad peccandum; ergo &c. 2. Si possibilis esset creatura pura essentia litera sancta, adhuc posset mereri apud Deum; cum posset esse obsequia ex se digna retributione superna; atqui non haberet libertatem ad peccandum, sed solum ad merendum, vel ad demerendum, ergo &c.

Respondeat 2. Vasquez, statutum beatificum non esse statutum merendi, quia Beatus est jam in centro, & in termino, & qui est in statu merendi, non est adhuc in centro, & in termino, sed in via ad illum; ergo &c. Contraria tamen. Licet esse in centro, & in via sunt extrema incompossibilita, quando centrum est mathematicum, sive indivisibile, non tamen sunt extrema incompossibilita, quando centrum est divisibile: tunc enim quam optimè potest esse in prima parte centri, & in via ad secundam, & reliquas partes centri; atqui visio beatifica non est una sola indivisibilis, sed potest dari una perfectior alia in infinitum; ergo, licet Beatus sit in centro quoad unam visionem, potest esse in via quoad alios, easque mereri; ac proinde ex hoc capite status beatificus non est ex natura rei incompossibilis cum statu viæ, seu cum statu merendi.

Respondeat 3. Esperza I. 3. quæst. 2. a. 6. Ita statutum beatificum esse incompossibile ex natura rei cum statu merendi, quia in statu beatifico non datur labor. neque contemptus arduus commodi temporalis, quod requirebatur ad statutum merendi. Contraria tamen 1. De ratione meriti non est, ille labor, & arduitas, sed solum, quod fiat liberè obsequium proportionatum cum preemio; sed tale obsequium elicit potest à Beatis; ergo &c. min. & conseq. tenent, maj. patet, quia in humanis, dummodo homo liberè eliciat alteri obsequium illi placens, erit fiat

fiat absque tali arduitate, & incomodo datur meritum; ergo talis arduitas, & incommodum non sunt de ratione meriti. 2. Plures Viri sancti absque ullo labore, & arduitate, imò cum magna delectabilitate contemnunt commoda temporalia; atqui verè merentur; ergo &c. 3. Quia saltem exinde fieret statum viæ de facto non esse talem ex natura rei, sed ex lege Dei; cùm ille labor reperiatur in Animabus Purgatorij, sed non sicut in via, seu in statu merendi; ergo &c.

163. Objic. 1. Deus absque ullo detimento suæ bonitatis negat præmium operibus à Beato eliciti; sed alienum est à divina bonitate negare præmium meritis; ergo opera à Beato elicita non sunt merita. Relp. conc. maj. neg. min. quia Deus, utpote supremus Dominus ob plurimos honestos titulos potest sibi exigere opera Beatorum, quin eis injuriam ullam faciat non remunerandò, ut constat ex Tractat. de Incarnat. Omnes enim creature habent essentialem servitutem respectu Dei; ac proinde ex titulo essentialem dominij potest Deus sibi exigere omnia honesta creaturarum opera, nullatenus ea remunerandò absque ullo suæ bonitatis detimento; quare ergo non magis id potest respectu Beatorum, quibus adeo magnum conculit beneficium in iustificatione, & glorificatione; imò ita congruentissimum fuit, ne Beati anxijs essent de majori gloria promerenda, & ne cum spe majoris præmij in gratia fierent in exercitio meritorum remissi, & tepidi in via.

164. Objic. 2. Meritum operis apud Deum innotescit nobis ex Scriptura; atqui ex Scriptura ad tale meritum requiritur, quod habeat rationem laboris, violentia, certaminis, agonis, quod repugnat statui beatifici; ergo status beatificus non est capax merendi. Probat. min. ex Math. 11. *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapunt illud: 2. ad Thymoth. Nam & qui certat in agone, non coranabitur, nisi legitimi certaverit. 1. Corinth. 5. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem; ergo &c.* Relp. conc. maj. nego min. ad probat. conc. ant. & nego conseq. quia in his Scripturæ testimoniis non est sermo de merito apud Deum, & universaliter in communi sumpto, sed de merito in hac providentia, & regulariter accepto. Nam ad meritum apud Deum absolute, & communiter sumptum sufficit opus supernum, sive ut Scriptura loquitur, opus mirabile factum liberè à justo, ut constat ex Eccles. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressor, facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & subdit postea: fecit enim mirabilia in vita sua.* Vide num. 162. ex dictis.

165. Fit 1. Statum viæ esse illum, in quo obsequia ex ea digna retributione superna acceptantur à Deo ad præmium. Quapropter Angeli fuerunt viatores usque ad instans, in quo Deus dedit bonis æternam visionem, malis æ-

R. P. Gormaz. Theolog. Tom. I.

ternum supplicium; cùm usque ad illud instans decreverit Deus acceptare ad præmium supernum eorum obsequia; homines autem solum esse viatores per totum spatiū vitæ in hoc mundo inter procellas mundi, ut ex num. 175. an autem requiratur vita in hoc mundo inter procellas mundi, sive juxta ordinariū vivendi modum, vel an sufficiat vivere in hoc mundo juxta legem omnino extraordinariam, sicuti de facto conservantur à Deo Elias, & Enoch, Affirmat Abulensis, Viegas, Henriquez, & plures Carmelit. hoc sufficere. Imò Gabriel à S. Vincentio disp. 19. quæst. 5. tenet, eos esse simul viatores, & comprehensores. Secunda sententia negat. Ita Arriaga, Oviedus, & alij communiter cum Suario; licet ferè omnes communiter doceant, rem esse omnino incertam; cùm ex una parte sciamus, eos esse in carne mortali, ac proinde videntur esse in statu merendi; ex altera verò parte noscamus, eos ita extra legem ordinariam vivere, ut sint remoti à procellis mundi; ac proinde non videtur illis concedendum meritum, quod concessum non fuit animabus SS. Patrum degentium olim in Limbo.

Video sententiam affirmativam facilè defendi posse, si dicatur, eos per cumulata merita non posse æquare gratiam Beatæ Virginis, ex eo, quod ejus opera condignificata fuerant à gratia intensiori omni gratia ab ipsis accipienda, vel à dignitate maternitatis superante omnem gratiæ ipsorum condignificationem, vel non admissa esse à Deo eorum merita, nisi ad gratiam inferiorem præmerendam gratia Beatæ Virginis, & Apostolorum. Licet aliqui dicant, eos æquare gratiam Apostolorum, cura designati sint Apolotoli, seu Præcursores secundi adventus, quod majorem continet difficultatem; ceterum, cùm hæc omnia pendeant à decreto Dei nobis prorsus ignoto, dicendum est, incertum esse, an de facto mereantur, vel non, tum quia scire non possumus, an continua extrafamilia sensibus alieni careant electione, & indifferenter ad merendum necessaria, non ergo velimus esse apertum, quod Deus voluit occultum.

Fit 2. Animas Purgatorij non esse in statu ex natura rei incomponibili cum merito, sed solum ex lege Dei, ut ex dictis num. 177. ac proinde de facto non mereri præmium gratiæ, & gloriæ essentialem, imò neque accidentalis, neque sibi, neque nobis, ut tenent communiter Theologi contra Ripaldam. Quapropter eorum preces, ut Deus nobis conferat aliqua dona, non habent rationem meriti, ut contingit etiam in precibus Beatorum. Fit 3. Neque homines, neque Angelos beatos mereri ipsam visionem per opera illam consequentia, neque mereri in dies Angelos augmentum gloriæ essentialem per custodiam, quam circa homines exercent. Ratio est, quia aliquis præfixus, statutusque terminus est à Deo ad mercedem, ut constat ex testimonio supra citatis Sacrae Scripturæ, sed non aliud, nisi status viæ in hoc

166.

167.

hoc mundo pro hominibus, & status beatitudinis pro Angelis, ut exponunt ferè omnes Theologi; ergo. Ex quo inferes cum Suar. Tannero, & alijs, neque Beatos mereri præmium accidentalē, quia sic melius intelliguntur loca Scripturæ, & SS. PP. absolute negantur meritum post mortem.

S E C T I O II.

An, & quomodo requiratur sanctitas subjecti ad meritum condignum?

168. **S**uppono ut certum, non requiri sanctitatem subjecti ad meritum congruum: peccator enim per contritionem perfectam, & bona opera superna mereatur justificationem de congruo, ut testatur communis persuasio fidelium. Difficultas vero est de merito condigno tam in natura lapsa, quam in pura natura. Afferro 1. cum communī Theologorum contra Nominales, non solum in natura lapsa, sed etiam in pura natura est necessaria sanctitas ad meritum condignum gratiæ, & gloriæ. Probat. 1. Deus iuxta Sacram Scripturam ad conferendum præmium gratiæ, & gloriæ operibus æquale respicit prius offerentem, quam oblata, prius correspicit, deinde munus, seu opus; ergo non sufficit ad tale meritum, quod in se sit bonum, sed quod subjectum offerens, in quod respiciens complacet Deus, sit amicus Dei per sanctitatem. Probat. ant. ex c. 4. Genes. Reflexit ad Abel (id est Deus) & ad munera ejus, ad Cain vero, & ad munera illius non reflexit; ergo &c.

169. Confirmatur 1. Joan. 15. *Sicut palmes non possunt ferre fructum a semet ipso, si non manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis; at qui manere in Christo non solum est esse in statu puræ naturæ, sed est esse in statu sanctitatis;* ergo &c. 2. quia, postquam Rom. 8. dicitur: *Accipitis Spiritum adoptionis filiorum, si filii, & heredes; & subiungitur, si tamen compatiuntur, ut & glorificemur, ubi nostræ passiones solum dicuntur meritoria conglorificationis, quatenus supponunt sanctitatem, qua sumus heredes; ergo &c. 3. ex Tridentino l. 6. cap. 16. Proponenda est vita eterna, & quam gratia filiis Dei per Christum E SUM misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda; ubi manifestè apparet, gloriam non reddi ut mercedem, nisi operibus justorum; ergo &c.*

170. Probat. 2. Meritum condignum gloriæ debet habere æqualitatem cum præmio gloriæ; at qui sine sanctitate subjecti, quæ est jus ad gloriam, ut constat ex Tractat. de justificat. nihil manet, ex quo opus hominum habeat æqualitatem cum præmio gloriæ; ergo &c. Confirmatur ex Paulo de gratia sub nomine charitatis loquente 1. Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest;* ergo &c. Ex

quo fit 1. cum Granado, Ripalda, aliasque, in hac præsenti providentia requiri sanctitatem intrinsecam; de potentia verū absoluta sufficere etiam sanctitatem extrinsecam, ut confit ex Tract. de justificat.

Fit 2. contra Ragusam, & alios, sanctitatem subjecti non solum concurrere ut removentem prohibens seu peccatum, sed ut formam intrinsecam meriti ipsum opus condignificantem; licet enim sanctitas subjecti sit operi extrinsecæ, est tamen intrinseca merito; cum meritum condignum sit constitutum ex opere supernaturali honesto, & sanctitate subjecti. Unde, cum Deus de potentia absoluta non possit supplerare defectum cause formalis, ut pote intrinsecæ suo composite; licet supplerare possit, quod detur meritum condignum gloriæ, quin detur opus supernum, & sanctitas subjecti. Vide n. 99. Fit 3. Sanctitatem subjecti esse priorē meriti, sicuti pars totius dicitur prior toto, an autem debeat etiam præcedere ipsum opus ad hoc,

Afferro cum Ripalda, Oviedo, Lugo, & communī contra Vasquez, Sorum, & alios. Gratia condignans actum non debet illum positivè antecedere. Probat. 1. Quando aliqua virtute Sacramenti recipit primam gratiam, potest elicere actum dilectionis perfectæ, ad quem gratia non se habeat præviæ, sed solum concomitante; at qui illa gratia non præcedens, sed concomitans dignificaret ad promerendam gratiam; ergo &c. Probat. min. Ille actus est elicitus ab homine justo, & non est efficiens gratiæ acceptæ, neque gratia illa accepta esset præmium talis actus; sed hoc sufficit, ut gratia dignificaret actum; ergo &c. Confirm. Prioritate condignificationis humana dignitas regia, & pontificia purè concomitans actum, dignificat illum; ergo gratia purè concomitans actus justi, eos etiam dignificabit.

Probat. 2. Actus pro instanti determinato præcepti à justo eliciti sunt meritorii de condigno; at qui gratia non præcedit tales actus, aliter tolleret libertatem, ut constat ex dendis de influxu gratiæ in Tractat. de charitate, ergo &c. Confirmatur. Homo iustus potest per auxilium extrinsecum Dei producere actum supernaturalem honestum, quin gratia illum producat, ut contingit in peccatore, & proinde, quin se habeat præviæ, sed tantum concomitante ad talē actum; at qui ea gratia purè concomitans dignificaret illum actum; aliter homo ille non magis meretur, achi iustus non esset; ergo &c.

Afferro 2. Gratia accepta ut præmium consequens actum nequit dignificare ad merendam maiorem gratiam. Probat. Talis gratia nequit dignificare actum ad promerendam eandem gratiam, neque illius augmentum; ergo &c. Probat. ant. quoad primam gratiam, ut ex Tractat. de justificat. num. 96. Principium meriti nequit cadere sub merito, quia gratia accepta in præmium meriti nequit esse principium con-

dignum.

dignificans ipsum meritum ad illum promerendum. Probatur idem ant. quod secundam partem, quia actus solum potest dignificari a gratia accepta in premium in ordine ad id, quod promeretur actus priori ad gratiam, & id, ad quod est ordinatus ex suppositione gratiae, sed id, quod actus promeretur, & id, ad quod est ordinatus ex suppositione gratiae, solum est aequalis gloriae; secus autem ipsa gratia, vel eius augmentum; ergo &c.

175. Confirmatur 1. Actus ordinatus ad premium gratiae, & gloriae, quando remuneratur gratia, exercet suam causalitatem in ordine ad gratiam, &, quando remuneratur gloria, exercet suam causalitatem in ordine ad gloriae; atqui actus, postquam suam exercuit causalitatem in ordine ad premium, nequit dignificari per ipsum premium, ut exercet condigne aliam causalitatem; aliter per gratiam acceptam dignificaretur ad augmentum, & per augmentum ad aliam gratiam, & sic infinitum. At ita per quemlibet actum supernum mereretur justus gratiam infinitam, quod dici non potest; ergo &c. Confirmatur 2. Si Rex promittat, militem obtinenter victoriam, si fit plebeius, constitendum Equitem, si fit nobilis constituendum Comitem, si fit Comes, constitendum Ducem, casu, quo plebeius obtineret victoriam, & fieret nobilis ex illa nobilitate accepta in premium, non dignificaretur victoria, ut fieret Comes, aut ut fieret Dux; sed non ex alia ratione, nisi quia illa victoria exercuit iam totam suam causalitatem, quam independenter a premio merebatur, & ad quam erat ordinata; ergo patiter &c. Unde, quando impensis eliciens contritionem mereretur de congruo primam gratiam, ille actus per premium gratiae non dignificabitur ad recipiendam majorem gratiam, neque ad recipiendam majorem gloriam, quam exigit gratia accepta in premium sed tanquam subiectum condignum recipiendi gloriam, quam exigit ipsa gratia.

176. Afferro 4. Gratia, quae non est premium actus, licet subsequatur actum, ut ipsa conservetur, potest dignificare actum ad promerendum maius premium gratiae, & gloriae. Probatur. Actus praecipitus pro instanti determinato a iusto elicitus, est meritorius de condigno gratiae, & gloriae, sed gratia, qua dignificatur, ut conservetur, subsequitur actum; ergo &c. min. patet ex his, quae de influxu gratiae in actum praecipiti dicemus in Tract. de charit. & suadetur facile, quia gratia in eo casu pendet ab actu, ut conservetur. Ideo enim Deus conservat gratiam in nomine iusto, quia in eo instanti elicere actum, & non est contrario; aliter non esset liber ad omitendum actum; cum enim gratia sit incompensibis cum omissione actus praecipiti, si gratia praecedenter conservata pro priori ad eliciendam actus, jam non posset omitti actus; ergo &c. Confirmatur. Ille actus est actus hominis iusti, & Deo gratia independenter a gratia accepta in premium; ergo per illam gratia.

R. P. Germaz Theolog. Tom. I.

am, quae est Deo grata independenter a premio potest actus dignificari ad exercendam suam causalitatem in ordine ad premium; sed hoc est dignificari ad premium gratiae, & gloriae per gratiam, quae ut conservata subsequetur actum; ergo &c.

Objic. 1. contra primam assertionem. In Scriptura promittitur gloria servantibus mandata, nulla facta mentione gratiae, aut sanctitatis; ergo &c. Confirmatur. Actus malus se ipso, & independenter ab indignitate subjecti est condignum demeritum gratiae & gloriae; ergo actus bonus se ipso, & independenter a dignitate subjecti erit meritum condignum gratiae, & gloriae. Resp. nego conseq. quia, licet gratia, aut sanctitas subjecti non exprimitur in aliquibus locis, in nullo tamen Scripturæ loco excluditur, in modo in pluribus exigitur, ac proinde de necessariō debet intelligi ad meritum requirita. Ad confirmationem retorqueo argumentum, actus malus in se ipso condigne demeretur unionem hypothaticam, & premium infinitum; ergo actus bonus se ipso condigne meretur unionem hypothaticam, & premium infinitum.

177. Resp. deinde nego conseq. quia demeritum premium respicit per aversionem premium; ac proinde non requirit proportionem ejusdem lineæ cum illo; meritum vero respicit premium per convenientiam, ac proinde requirit cum illo proportionem; cum autem actus bonus seorsim a gratia, aut sanctitate subjecti non habeat aequalitatem; & proportionem cum premio gratiae, & gloriae, nequit independenter ab illa esse premium gratiae, & gloriae; tum quia demeritum crecit ex dignitate offendæ; ac proinde se ipso habet proportionem cum peccata; obsequium vero decrevit, ideoque seorsim a dignitate subjecti non habet proportionem cum premio.

178. Objic. 2. contra secundam assertionem. Ut actus sit de condigno merito ius gloriae, dederit procedere ab homine iusto; sed est iustus per gratiam; ergo debet procedere a gratia. Resp. dist. maj. ab homine iusto presuppositivè ad actum, nego, iusto independenter a premio causalitatis actus, conc. maj. & distincta min. nego conseq. quia, ut actus procedat ita ab homine iusto, sufficit, quod gratia, qua iustus fit, sit comitans, vel subsequens, si non sit in premium actus accepta, ut constat ex dictis. Unde per gratiam praecedentem dignificabitur actus sufficienter, non vero necessariō.

179. Objic. 3. Si gratia comitans dignificaret actum, qui disponeretur ad justificationem per attritionem, & contritionem, mereretur justificationem de condigno per attritionem: gratia enim accepta per contritionem esset comitans attritionem, ac proinde illam dignificaret; sed hoc dici non potest; ergo &c. Confirmatur. Si iustus elicuit simul duplum actum, alterum justificatione, & alterum misericordiae, gratia accepta in premium actus justificatione esset comitans actum misericordiae, ac proinde dignificaret il-

S E C T I O III.

An ex majori gratia habituali ceteris partibus crescat meritum ad majus premium:

Ium ad majus præmium, & gratia accepta in præmium actus misericordiae esset comitans actum justitiae, illumque etiam ad majus præmium dignificaret. Rursus augmentum acceptum per unum actum esset comitans respectu alterius, & sic in infinitum, & sic dignificaretur qui libet ex illis actibus in infinitum; sed hoc dici non potest; ergo &c.

181.

Resp. neg. maj. quia prima gratia, qua homo justificaretur daretur intuitu contritionis; ac proinde per attritionem ab illa gratia condignificata, non meretur homo ille primam gratiam, sed ad summum augmentum illius primæ gratiæ, in quo nullum est inconveniens. Ad confirmationem dico, gratiam acceptam ut præmium actus justitiae, qua nullo modo sit præmium actus misericordiae, sed purè illum comitans, posse condignificare actum misericordiae, & è contrario: fucus autem gratia, quæ est præmium, cum ergo augmentum gratiæ acceptum ut præmium actus misericordiae dignificatur à gratia accepta ut præmium actus justitiae, sit præmium mediate actus justitiae, nequit augmentum illud iterum dignificare actum justitiae, neque è contrario; unde nullum sequitur ex nostra sententia incredibile augmentum gratiæ.

182.

Objic. 4. contra quartam assertionem. In casu actus præcepti justo pro instanti determinato conservatio gratiæ subsequitur actum præceptum, sicut subsequitur prima gratia ultimam dispositionem; ergo, sicut prima gratia non dignificat contritionem in ordine ad aliud præmium; ita gratia ut conservata non dignificabit actum præceptum in ordine ad præmium. Confirmatur. Deus, ut conservet gratiam, exspectat actum præceptum honestum supernaturalem; imo potest conservare gratiam in præmium talis actus; ergo propter actum ut meritorum per gratiam posset conservare gratiam. Resp. neg. ant. quia actus præceptus solum ut removens prohibens subsequitur primæ gratiam, secus autem ut meritorius illius gratiæ; licet enim actus præceptus esset naturalis, esset removens prohibens, & non esset meritorius illius gratiæ; at verò prima gratia sanctificans subsequitur ad ultimam dispositionem ut præmium congruum illius.

183.

Ad confirm. dist. primam partem antecedentis, supernaturalem per accidens, conc. per se, neg. ant. accidentale enim est, quod impediatur peccatum per actum supernum, sicut in ea suppositione impeditur, vel per actum, naturalem ut maneat gratia eodem modo conservata; & dist. secundam partem anteced. absolute, conc. in hac lege Dei, neg. ant. & conseq. quia, ut Deus in hac lege conservet gratiam, sufficit, quod non detur peccatum; ac proinde non requiritur, quod conservatio gratiæ sit præmium actus sed solum quod pendeat ab actu ut à removente peccatum.



Prima sententia affirmat; ita Val. Granad. & alii, quos sequitur Ripalda d. 81. & alii, quos citat, & sequitur Ovied. tom. 3. Secunda sententia negat; ita Valsquez, Herrera, Lorca, & alii quos sequitur Arriaga d. 65. sec. 4. Rhodes d. 4. quæst. 2. q. 2. Orteg. Tract. 6. de Incarn. disp. q. 1. certam. 3.

Affero cum secunda sententia, major gratia habitualis non auger meritum ad majus premium. Probat. 1. Si Petrus, & Paulus ellenæ qualiter justi, post statim atque morerentur Petrus, Paulus superstes eliceret remissum actum virtutis supernæ, deberet habere gratiæ, gloriam duplò majorem, quam Petrus; sed hoc est incredibile; ergo major gratia habitualis non auger meritum ad majus præmium. Probat. maj. quia, si tota gratia Pauli augeret novum ipsius meritum adæquale præmium, daretur in præmium tanta gratia, quanta præcebat in Paulo; ac proinde vi illius novi meriti Paulus haberet gratiam duplò majorem, quam Petrus, ut si tunc è vita discederet, obtineret duplò majorem gloriam.

Probat. 2. Gratia habitualis catenùs dignificat meritum ad præmium, quarens opus illud meritorum est elicitorum à filio Dei adoptivo, vel ab illo, qui haberet filiationem Dei adoptivam; atqui gratia non potest reddere unum magis filium; quam alterum; ergo non potest concurrens augmentum gratiæ ad augmentum præmij. Confirmatur 1. Premia correspondentia bonis operibus justi, ut habetur Math. 16. & ad Roman. 2. Et reddet unicuique secundum opera ejus; ergo augmentum premij non defumitur ex majori gratia habituali, sed ex nobiliori opere elicito à justo, & filio Dei. Confirmatur 2. Major indignitas homini contrafacta est ex peccatis habitualibus non auger in peccato subsequenti rationem dementiæ majori pœnam; sed major pœna procedit à majori demerito; ergo neque major dignitas ex gratia habituali augabit meritum ad majus præmium.

Probat. 3. Quando duo sunt in eodem ordine constituti, quod unus mereatur majus præmium, quam alter, non sumitur, nisi à perfectori opere meritorio elicito ab uno, quam ab altero; atqui per gratiam habitualem tantum singuli justorum (loquimur de puris hominibus) constituntur in statu filii adoptivi Dei; ergo ad merendum majus præmium non spectanda major gratia, sed nobilis opus meritorum. Quamobrem gratia secundum unicum gradum sufficiens est ad condignificandam opera meritoria; reliqui autem gradus meritorum materialiter se hahent ad majus præmium, solumque

que dici poterit deseruire, ut ad idem premium magis dignificet, ut bene exponit Arriaga videndus loco cit.

188. Respondebis, gratiam sanctificantem concurre ad dignificandum juxta intentionem motus meritorij, licet non concurrat secundum totam intentionem suam ad dignificandos actus remissiores ipsa ad premium æquale ipsi gratiae; cum enim gratia sit radix virtutum, & potentiarum supernaturaliū, dicit ordinē ad operationem; unde, si gratia est intensa ut quatuor, & operatio ut quatuor, conserget meritum premium ut octo; si autem gratia sit ut quatuor, & opus meritorum ut duo, gratia solum dignificabit secundum intentionem ut duo, ac proinde non conserget, nisi meritum ad premium ut quatuor. Ex quo evitatur absurdum, quod inferrebas contra Adversarios.

189. Contrā tamen 1. Si gratia habitualis dignificaret ad premium æquale intentioni actus, non dignificaret præcisè, quia constituit hominem in statu filiorum Dei, neque diceretur premium correspondere præcisè secundum opera meritoria iustorum, sed correspondere operibus, & gratiae æquanti intentionem operum; atqui in Scriptura non ita promittitur premium, sed operibus iustorum; non enim dicit Scriptura, quod Deus reddet iustis premium juxta mensuram operis, & æqualem intentionem gratiae, sed quod reddet præmia iusto secundum opera ejus; ergo major intensio gratiae non condignificat ad mensuram intentionis operis.

190. Contrā 2. Gratia habitualis non solum confert homini, ut operetur, sed etiam ut Deo gratus, & magis gratus; ergo, si gratia intensa dignificat ad mensuram intentionis operis, ed quod sit collata in ordine ad operationem, etiam dignificabit ad intentionem totius gratiae, ed quod faciat hominem Deo magis gratum, sitque etiam ad hunc finem à Deo collata; atqui per Vos ex hoc fine non infertur, quod condignificet ad mensuram intentionis gratiae; ergo neque ex altero fine operationis inferri potest, quod dignificet ad mensuram intentionis operis: unde solum dici potest, dignificare, quia constituit hominem, vel est constitutiva filij adoptivi Dei, cùmque unus non sit magis filius, quam alter, licet sit magis gratus, quam alter; exinde ex majori gratiae intentione non arguit debitum ad majus premium.

191. Objic. 1. Opera Christi Domini non obliam rationem sunt simpliciter infinita, nisi quia dignitas operantis, quæ est constitutiva meriti, est simpliciter infinita, ergo cæteris paribus, quo persona est sanctior, & dignior, ed magis condignificabuntur ejus opera ad majus premium. Confirmatur. In humanis rebus non temere, sed prudenter existimatis, quod major est dignitas personæ operantis, ed magis crescit meritum in majus premium; ergo etiam in operibus iusti relati ad Deum. Relp. dist. ant. quia est simpliciter infinita, & constituit Christum in statu altiori personæ Deo non extra-

neæ, sive filij Dei naturalis, conc. & non ita constituit, neg. ant. & conseq. Ratio est, quia puri homines per gratiam habitualē quantumcunque intensam non constituntur in alio statu, nisi in statu filij Dei adoptivi, ad quem statum satis est unicus gradus gratiae, & reliqui se habent de materiali: at status filij naturalis Dei non potest nō esse simpliciter infinitus, neq; infinitudo simpliciter se habet de materiali ad illum statum, unde, quamvis gratia substantialis dignificet simpliciter infinitē opera Christi, at gratia habitualis in puris hominibus solum dignificat secundum unicum gradum. Vid. in Tractat. de incarnat. num. 410. Ad confirmationem dist. ant. quo major est dignitas personam constitutens in altiori statu, conc. non ita constituens, neg. ant. & conseq. nam etiam in humanis, si duo constituti sint in eodem statu, quamvis unus sit ditione altero, non exinde ejus opera erunt majoris valoris, quam opera alterius; unde idem dicendum est in casu nostro.

Objic. 2. Opera amicorum majoris aestimationis sunt, & quod amicus intimior est, eo pluris habetur ejus donum, & intercessio ejus efficacior est: sic in Scriptura, ut oratio fiat gratior Deo, assumuntur Patroni, & valde amici, ut Danielis 3. Propter Abraham dilectum tuum, & propter Jacob servum tuum. Jobi ult. Job servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam. Et pasim alibi. Modò sic. Si oratio minoris justi sufficientem condignitatem habet cum dono impetrato, oratio magis iusti non solum cum illo, sed etiam cum majori dono impetrato habebit proportionem: quis enim dicat, orationem Beatisimæ Virginis, qua in hoc mundo postulavimus pluviam, non fore condignam impetrationis doni majoris, quam oratio alterius justi; ergo quo major est gratia, eò major est impetratio, & meritum ad majus premium.

Relp. opera amicorum non esse majoris aestimationis in ratione meriti, & obsequij, si omnes sint in eodem statu; & opera inter se sint æqualia, unde majus patrocinium amici ad obtinendam rem desideratam non provenit à majori obsequio, vel merito, quod de novo fiat, sed vel à præcedentibus, si ratione illorum contracta est amicitia, quæ ad impetrandum semper vim suam retinunt; vel ab electione amici in amicum, vi cuius juxta leges amicitiae voluit, quod bona sua essent etiam communia amico; & hæc est ratio, quare maximè quærimus commendationem amici; verum hæc non veniunt ad rem præsentem, in qua tantum agimus de merito, ejusque incremento. Quod si amicus major, & nobiliora eliciat opera meritoria, vel majora eliciasset erga amicum, quæ vim retinent impetrandi, jam exinde facile habemus, incrementum meriti desum ab opere nobiliori meritorio, aut intensiori. Nec dubitare licet, quod maximum fuerit meritum Abrahami, & Jacobi, aliorumque Patriarcharum, & quod maximum omnium inter merita puræ creatu-

192.

193.

rae fuerit meritum Deiparæ; unde ex his male efformatur argumentum desumptum à sola nobilitate Personæ, & non à nobiliōri opere meritorio. Quamobrem in forma ad argumentum dist. ant. oratio magis justi cum majori dono impetrato habebit proportionē ex capite duntat majoris gratiæ, neg. ex lege amicitiæ, vel ex majori opere meritorio prævio, conc. ant. & neg. conseq. quia efficacia meriti in ordine ad præmium non desumitur à meritis præviis, vel à lege amicitiæ, sed ab ipsa meriti condignitate, & aestimatione; unde, si hæc solum accipit incrementum inter personas constitutas in eodem statu propter majorem operis meritorij aestimationem à justo eliciti, ex eo solum capite debet desumi incrementum meriti, non verò à majori gratia habituali.

S E C T I O I V.

Ex quibus alijs circumstantijs opus meritorium augeatur?

194. Difficultas est, an cæteris paribus ex majori intensione crescat actus arithmeticè ad præmiū majus. Prima sententia negat. Ita plures, ut Coninch, judicantes, solum crescere geometricè. Secunda affirmat de actibus charitatis, negat verò de alijs. Ita plures cum Tannero. Tertia affirmat de omnibus actibus meritoriorum. Ita ingeniosi Recentiores cum Arriaga disp. 51. sect. 3. cum quibus Resp. affirmativa, quia, ut ex num. 130. actus, eti remissus est dignus præmiū, proinde actus infimus, remissus ut unum erit dignus præmiū arithmeticè ut unum; ergo quòd intensior est, eò magis erit dignus arithmeticè majori præmiū.

195. Resp. illum actum remissum intimæ virtutis esse meritorum, ex eo, quòd simul cum alio actu posse mereri; licet soli illi non corresponeat præmium gratiæ, & gloriæ. Contra tamen 1. Quia exinde fieret, quodsi homo mereretur statim, ac elicuit talem actum, maneret aliquis actus meritorius absque præmio; ergo &c. 2. quia hæc responsio incidit in sententiam Bannez, quam impugnavimus num. 130. & ipsi Adversarij impugnant. Bannez enim negans actum remissum esse dignum præmiū, non renuerer admittere plures actus remissos posse constituer unum meritum ad infimum præmium; ergo &c. 3. quia incidit etiam in sententiam Thomistarum, quam impugnavi n. 132 cùm exinde fieret, posse aliquem mereri gratiam, & gloriæ, quin statim post merita recipere præmium gratiæ, & gloriæ; ergo &c.

196. Objic. Cùm meritum crecerat non solum ex majori intensione, sed etiam ex majori nobilitate, actus charitatis intensus ut quatuor, utpote nobiliōr actu misericordia intensio ut quatuor, mereretur plures gradus gratiæ, quam in se habet; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Resp. 1. in actibus vitalibus intensiōnem, & nobili-

tatem non distingui perfectione essentialijs actibus, ac proinde intensio desumetur ex ordine, quo se excedunt respectu ad potentiam eliciēt in sua quicquid linea actus magis & magis perfecti, ita, ut actus infimus charitatis, quem homo posset elicere, dicatur intensus ut unum, & actus infimus misericordia intensus etiam ut unum, & sic etiam de reliquis.

In hoc sensu actus charitatis intensus ut quatuor, merebitur majorem gratiam, & nobilitatem gloriam, quam actus misericordia intensus ut quatuor, in quo nullum est absurdum cæterum, ut hæc responsio clarior appareat, permisso pro nunc intensione graduali in actibus vitalibus, Resp. 2. permitto maj. neg. min. quia si supponamus, actum misericordia ut quatuor significatum gratiæ ut quatuor mereri gratiam, & gloriam ut quatuor, a fortiori actus charitatis ut quatuor significatus gratia ut quatuor magis merebitur, cùm non solum per suam qualem intensiōnem meretur, sed etiam per suam suam nobilitatem.

Secunda difficultas est, an cæteris paribus ex majori intensione, & duratio crescat actus ad majus præmium; Resp. cum Suar. Ripald. Ovied. & communis contra Bannez affirmativa. Probat. 1. ex D. Cyprian. apud Ripald. disp. 9. sect. 8. *Ad fastigia celiora mortis p/a possessionis ascenditis, longique tempora ducta glorias vestras non trahitis, sed augite tot vestra laudes, quot dies, quot mensum canticula, tot incrementa meritorum, qui longior pugna, eò corona sublimior; ergo &c. 2. tantum valet actum continuare per plura instantia, ac illum in singulis instantibus producere; cùm duratio sit continuata producio; ergo &c.*

Objic. 1. Actus, qui continuatur, est essentia liter idem, ac primò productus, & solum accidentaliter diversus quoad duracionem; ergo solum merebitur accidentalē præmium, & non essentiale. Confirmatur 1. Continuatio non auger demeritum; aliter deberemus illam declarare in confessione; ergo neque augabit meritum. Confirmatur 2. ex Augustino dicente: *Non multitudo operum, nec diuturnitas temporum auget meritum, sed sola charitas, & melior voluntas; ergo &c.* Confirmatur 3. Si duo efficaciter volunt actum continuare per horam, unus verò exequatur, alter non, qui fuit mortuus præventus, aequè merebuntur; ergo ea continuatio non auger meritum. Resp. diff. ant. idem physicè, conc. moraliter, neg. anteced. & conseq. quia in aestimatione moralitatem laudabiliter se habet, qui actum honestum continuat omnino liberè per aliquam instantia, quam si in quovis instanti novum actum eliceret.

Ad primam confirmat. neg. ant. neque exinde sequitur, quod ea continuatio debet in confessione declarari, cùm probabile sit, circumstantias augentes malitiam intra eandem speciem, non esse ex necessitate in confessione explicandas, ut videri potest apud Martinum Perez

Perez de Poenitent. disp. 34. sect. 3. licet aliqui contrarium melius docant: quapropter iuxta cujuscunque principia in hac disp. resolventa est difficultas. Ad secundam neg. conseq. quia D. Augustin. loquitur de operibus naturalibus, non verò de supernis gratiâ, seu charitate informatis; hæc enim meritoria sunt, quod sanè comprehendit S. Doctor illis verbis: *Sola charitas & melior voluntas.* Ad Tertiâ dist. ant. aequi merebuntur per actum imperantem, conc. per liberam continuationem actus imperati, neg. anteced. & conseq. ut constat ex dictis.

201. Objic. 2. In unica hora sunt plura instantia; ergo, si homo continuaret actum per unicam horam, mereretur totum illud augmentum, quod videtur incredibile. Resp. quòd si homo in singulis, & pro singulis instantibus se liberè & supernaturaliter exerceat, ut contingebat in Christo, & Deipara, mereretur totum illud incrementum, quod in eo casu non esset incredibile; cæterum, quia hoc homini est saltem moraliter impossibile, exinde tale augmentum ju-
re optimo censetur in praxi incredibile.

202. Ratio est autem, quia libertas absque cognitione dari non potest, quæ saltem sit agenti impunitus; cùm ergo moraliter saltem si impossibile, hominem in singulis, & pro singulis instantibus habere hanc cognitionem, seu advertentiam, exinde est moraliter saltem impossibile, quòd in singulis, & pro singulis instantibus mereatur. Videatur Exim. Doct. tom. 4. de Relig. ubi agit de duratione illius actus, in quo consistit contemplatio perfecta; & Esparsas. 34. ubi ex alijs capitibus explicat, quomodo ille actus non possit esse impunitus rationaliter agenti in singulis, & pro singulis instantibus.

203. Tertia difficultas est, an cæteris paribus crescat meritorum ex majori difficultate. Resp. cum Exim. Doct. & communis Theologorum, quos sequitur Ripald. disp. 4. sect. 9. affirmit. Prob. ex

1. Corinth. 3. *Umsquisque mercedem propriam accipiet secundum suum laborem; et qui ubi est major difficultas, est major labor; ergo & magis meritorum, & major merces.* Confirmatur 1. quia hoc sentiunt Patres hortantes fideles ad majorem laborem, ut habeant majorem coronam, & mercedem, ut videre potest apud Ripald. cit. ergo ex mente Patrum cæteris paribus crescit meritorum ex majori difficultate.

204. Confirmatur 2. Quia in humanis miles, qui pluribus superatis difficultatibus victoriam reportat Regi, procul dubio dignus est majori præmijs cæteris paribus, quam ille, qui absq; conflitu, & nulla difficultate victoriam obtineret; quin imò ex ipsis reminis videtur notum, plus mereri illum, qui contra vehementissimas tentationes illibaram servat castitatem, quam qui nullam pugnam experitur; ergo ex ipsis terminis videtur notum, cæteris paribus crescere meritorum ex majori difficultate.

205. Responder Coninch, majorem difficultatem per se non augere, sed minuere meritorum, quia ex majori difficultate contingere solet, ut opus non sit intensum valde, sed tepidum, & remissum, ut patet in homine aliqui vitio dedito, qui pressus difficultate, et si resistat, resistit tamen per actus remissos: econtra tamen in homine virtuoso ex majori difficultate crescit meritorum; cùm ex facilitate, qua potest resistat per actus valde intensos.

206. Contrà tamen, quia hæc responsio non est contra nostram doctrinam, neque vim nostrorum rationum enervat: non enim quærimus, an quilibet actus cum difficultate elicitus sit magis meritorius, quam alius quilibet, qui absque difficultate elicitur, sed solum quærimus, an cæteris paribus, minitum supposita æquali duorum actuum duratione, & intensione, ille, qui cum majori difficultate fuerit elicitus, ex majori ea difficultate, quam vicit, sit magis meritorius, quod negare non potest Coninch, neque negat in sua responsione.

DISPUTATIO IV.

DE REQUISITIS EX PARTE PRÆMIANTIBUS, ALIISQUE AD MERITUM SPECTANTIBUS.

207. Suppono contra Bonaspem, Scotistas & Nominales, non ita requiri promissionem Dei, ut opera nostra sine de condigno meritoria vitæ æternæ, ut ea promissione ablata maneat absque ulla dignitate. Ratio est; quia absque ea promissione sunt ex se opera filij adoprivi, amici Dei, & à gratia habituali condignificata; ergo & de condigno meritoria, tum quia, si ob aliquam rationem nullatenus essent opera nostra de condigno meritoria absque ea ordinazione, & promissione Dei esset, quia gratia non esset constitutiva amici Dei, neque expulsiva peccati, nisi ex voluntate Dei; sed hoc fundatum falsum est, ut latè constat ex Tractat.

de justificat. à num. 191. ergo &c. Vide num. 12. Quærimus autem, an ex alio capite requiratur promissum Dei ad meritorum condignum, pro cuius resolutione sit

SECTIO I.

Quomodo promissio Dei requiratur ad meritorum?

208. Erè omnia, quæ ad hanc difficultatem spectant, in Tract. de Incarn. incidentur; omissa varietate sententiarum breviter controversia resolvam. Afferro 1. Seclusa ordinatione, & promissio-

missione divina habent in actu primo veram condignitatem opera, quibus justus meretur de condigno gratia, & gloriā. Probat. Si ea opera justi non haberent in actu primo talem condignitatem, neq; illam haberent posita ea prævia ordinatione, & promissione divina; sed hoc dici non potest, ut ex num. 12. ergo &c. prob. maj. ordinatio, & acceptatio divina non facit, quod opus ex se non condignum sit condignum; ergo &c. probat. ant. licet Deus promittat justificationem de facto actuī ultimo disponenti ad justificationem, talis actus non est condigne meritorius justificationis, quia ex se non habet talē condignitatem, neque ex se est æqualis valoris cum illa; ergo &c.

209. Probat. 2. Si pro agro valente centum aureos offeras unum aureū Domino, & Dominus illum acceperet, hæc acceptatio non faciet, quod primò aureus sit præmium condignum pro agro, sed quod Dominus remittat liberaliter alios aureos, cuius pretij dignus est ager; ergo, si opera justi independenter ab ordinatione, & acceptatione divina non haberent condignitatem in actu primo cum præmio gratia, & gloria, acceptatio divina non faciet, quod ea opera sint condigna gratia, & gloria, sed quod Deus liberaliter conferat gratiam, & gloriam absque operibus meritoris talis præmij de condigno.

210. Afferro 2. Absque ulla prævia ordinatione, & promissione divina habent ea opera justi veram condignitatem in actu secundo cum præmio gratia, & gloria. Probat. ex eo, quod opera justi antecedenter ad ordinem, & acceptationem divinam habeant veram, seu strictam condignitatem in actu primo ad præmium gratia, & gloria, videt Deus, quod si conferat gratiam, & gloriam in præmium meritorum justi, offeret præmium pro merito ei æquali, sive que moveri potest per decretum efficax absotutum ad collationem talis præmij; sed in eo tunc absque ulla prævia ordinatione, & acceptatione merita justi essent de condigno meritoria talis præmij; ergo &c. Confirm. quia oblatō condigno pretio æquè potest Dominus equum reddere pro pretio, nullo præcedente pacto; ergo oblatō condigno merito pro gratia, & gloria potest Deus reddere gratiam, & gloriam pro merito nulla præcedente directione, aut acceptatione; ergo &c.

211. Afferro 3. Opera justi non sunt merita strictissima in actu primo, neque in actu secundo absque pacto, vel acceptatione divina. Prob. facilē. Meritum strictissimum est illud, quo posito manet Deus metaphysicè obligatus ad conferendum præmium; atqui absque pacto, vel acceptatione divina non manet Deus ita obligatus ad conferendum præmium gratia, & gloria justo, quamvis ipse elicit merita; ergo &c. maj. & conseq. tenent, min. pater, quia Deus ursore supremus, & essentia creaturarum suarum Dominus potest sibi assumere omnia opera creaturarum ob plurimos alios titulos, quin ullum præmium conferat propter

illa; ac proinde solum potest metaphysicè obligari ex sua libera voluntate, sive ex pacto, & acceptatione divina; ergo &c.

Confirmatur. Deus utpote supremus, &c. essentia omnium Dominus ita habet dominium in suam gloriam, & gratiam, & in omnia sua dona, ut independenter à sua libera voluntate à nemine posset obligari ad illa conferenda; & ita haber dominium suprium in opera creaturæ, ut independenter à sua libera voluntate, à nemine posset obligari, ut accepte illa in ordine ad præmium; ergo &c. Ex quo inferes contra Gonnet, præcislam voluntatem conferendi gratiam, non esse sufficiem acceptationem; cùm adhuc positis operibus dignificatis gratia possit Deus absque ulla indecentia uti jure suo, non acceptando ea ad præmium, sed ea sibi assumento ob plures alios titulos. Vide Contens. contra Gonnet, dist. 4. spec. 2.

Objic. 1. contra primam assertiōnem. In humanis semper præcedit taxatio meritis, & solutionis pro labore diverso, quæ est ordinatio quædam laboris ad mercedem; ergo etiam debet præcedere divina ordinatio, & promissio in meritis Theologicis, ut sint in actu primo meritoria verē de condigno. Resp. translat. ant. & neg. conseq. quia ea taxatio in humanis non præcedit ut merita, quæ in se non sunt verē, & strictè in actu primo condigna, sicut per eam taxationem condigna; hoc enim impossibile est, ut constat ex dictis; sed præcedit, quia, cū homines non cognoscant intime valorē meriti, idēque eo posito aliquando plus, aliquando minus remunerantur, per eam taxationem convenienter in qualitate remunerationis. Deus autem his adminiculis non indiget; cū intime cognoscat cuiusque meriti valorem, tum quid, licet meritum possit per diversa præmia a Deo remunerari, superflua erit prævia ordinatio; cū per ipsum actum præmium determinaret jam Deus justum præmium.

Objic. 2. contra secundam assertiōnem. Operā justorum sunt condigne meritoria gratia, & gloria ex promissione, seu acceptatione divina; ergo ad meritum condignum in actu secundo requiritur promissio, sive acceptatio divina. Probatur ant. pluribus Scripturæ locis, & Concil. testimoniis, Jacobi 1. *Iustus accipit coronam vitæ, quam reprobasti Dei timoribus, & passim alibi.* Tum ex Trident. sess. 8. cap. 16. & Argentin. cap. 8. ubi dicitur: *Deum opera nostra remunerari ex gratia, & fideli promissione;* ergo &c. Confirmatur. Animæ purgantes, & beatæ, idē non merentur in actu secundo, quia non præcessit Dei promissio de remunerandis earum meritis; ergo &c. Resp. dist. ant. condigne meritoria verē, & strictè, neg. strictissimè, conc. ant. & dist. conseq. eodem modo, neque aliud probant Autoritates Scripturæ, & Conciliorum, nisi quod promissio Dei requiratur ad meritum strictissimum, ut dictum est num. 211. Ad confirmat. dist. eodem modo ant. neg. conseq. ut constat ex dictis.

215. Objic. 3. contra tertiam assertionem. Plures operantes vel invincibiliter ignorant Dei promissionem, vel eam non advertunt; atque promissio non obligat, nisi acceptetur; ergo Deus non obligatur ex sua promissione ad praemandum, sed ex ipsa natura meriti. Confirmatur 1. Non requiratur promissio, ut Deus maneat obligatus ad conferenda præmia propter merita. 2. Paterfamilias, videns operarium in suo agro laborantem, tenetur ad solutio-
nem, etiā nulla præcesserit conventio, vel pro-
missio; ergo pariter tenebatur Deus ad confe-
rendum præmium. Resp. permitto maj. & di-
sting. mihi, nisi acceptetur a quovis particula-
ri, neg. a communitate permitto min. & ne-
go conseq. quia, ut lex Dei obligat Deum, sat
est, quod acceptata sit ab Ecclesia, in qua vir-
tualiter acceptata manet a quovis particulari;
imò difficilis appetit ignorantia fidelium in invinci-
bilis de tali promissione; cùm necessitate me-
dij teneamus credere remuneratorem, dixi per-
mitto, quia plures in Tractat. de legib. clement,
legem divinam distingui inter alia a lego huma-
na, quia lex lata ab hominibus non obligat an-
te acceptationem, bene verò lex divina.

216. Ad 1. Confirmat. resp. cum Ovied. neg. ant.
quia, si Deus noluisse punire peccata, pro libitu
suo posset ea non punire; imò defacto non punit
peccata, quæ in inferno committuntur à damna-
tis. quia noluit ea ad pœnam acceptare: qua-
propter metaphysica necessitas ad puniendum
advenit Deo ex sua libera voluntate non minus,
quam metaphysica necessitas ad præmiandum.
Ad 2. conced. ant. neg. conseq. quia paterfa-
milia, cùm nullum habeat jus ad laborem
operarij; dum videns illum permittit in agro
suo laborantem, censetur acceptare ad solu-
tionem. Deus verò ob infinitos titulos potest si-
bi exigere nostros labores, & nostra opera, ac
proinde, ut obligatus maneat ad præmiandum,
necessaria est divina promissio.

SECTIO II.

De his, quæ possunt cadere sub meritum.

217. Suppono. 1. ex dictis, principium meriti non
spolit cadere sub meritum; ratio est, quia
vel caderet sub meritum remunerandum, vel
sub solutivum. Non primum, ut constat ex
Tractat. de justificatione. Neque secundum,
cùm impossibile sit, meritum solutivum, ut ex
num 29. ergo &c. Nunc autem quærimus, ad
quæ præmia se extendant merita, quibus justus
meretur apud Deum de condigno. Prima dif-
ficultas est, an peccator, qui per contritionem
meretur de congruo primam gratiam, mere-
tur de condigno per eandem contritionem pri-
mam gloriam. Omissa varietate sententiarum,
Resp. affirmative cum Suar. Vasquez, Valent.
Granad. Amico, & communis Theologorum.
Probat. 1. ex Tridentino fess. 6. can. 32. di-
cente: *Si quis dixerit, ipsum justificatum bonis
operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & JESU*
R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

*Christi meritum, cuius vivum membrum est, fi-
nit, non verè mereri augmentum gratia, vitam
aeterham, & ipsius vita aeterna, si in gratia deces-
serit, consecutionem, atque etiam gloriae au-
gmentum, Anathematis. Modò sic: Concili-
um in hoc textu diversò modò loquitur de me-
rito gratiæ, & de merito gloriæ: ait enim de
præmio gratiæ justum mereri verè, sive de con-
digno gratiæ augmentum; de præmio verò glo-
riæ ait, mereri vitam aeternam, sive gloriam,
& augmentum gloriæ; ergo justus non solum
meretur de condigno augmentum primæ gra-
tiæ, sed etiam primam gloriam. Consumatur
pluribus PP. auctoritatibus videndis apud Su-
arium, Bellar. sufficit pro nunc D. Thom. 1.
part. quæst. 112. art. 2. ad primum dicens; *ad
primum ergo dicendum, quod preparatio homi-
nis ad gloriam habendam quædam est simul cum
ipsa infusione gratiæ, & talis operatio est quidem
meritoria non gratiæ, quam jam habet, sed glo-
riæ, quam non habet ergo &c.**

Probatur 2. Ut voluntas per aliquod obse-
quium mereatur apud Deum de condigno præ-
mium, satis est, quod in instanti, in quo elicit
obsequium, condignificetur istud per dignita-
tem distinctam ab ipso præmio; acqui homo e-
liciens contritionem, qua disponitur ad grati-
am receperam, haber dignitatem gratiæ distin-
ctam a præmio gloriæ, qua etiam condignifica-
tur ad præmiū gloriæ; ergo &c. Confirm. Rex
promittat equiti ducatum in instanti, in quo ob-
tineat victoriam, in eodem instanti, in quo e-
ques victoriam obtinet, manet Dux, & per e-
am dignitatem victoriam suam condignifican-
tem meretur de condigno honores debitos Du-
ci; ergo etiam eò quod Deus homini se disponi-
nenti ad justificationem promittit gratiam, ea
gratia condignificabit contritionem, ut homo
mereatur de condigno dona debita gratiæ; at-
qui gratiæ debetur gloria; ergo &c.

Objic. 1. Contritio solum meretur gloriam
eo modo, quo meretur gratiæ; sed non meretur
primam gratiæ; ergo non meretur primam
gloriam. Confirmatur 1. Contritio à pecca-
tore elicita, est de congruo meritoria gloriæ;
ergo non est meritoria de condigno; aliter in e-
odem instanti daretur gratia, qua constitueret
condigna, & carentia gratiæ, qua consti-
tueretur congrua. 2. Attritio intra Sacramen-
tum ultimò disponens ad primam gratiam non
meretur de condigno primam gloriam; ergo
neque contritio extra Sacramentum. Resp. ne-
go maj. quia aliter meretur contritio in eodem
instanti gloriam, quam gratiam, ut constat ex
dictis. Ad primam confirmationem dist. ant.
est meritoria de congruo pro signo præcedenti
ad gratiam, conc. pro signo subseguente, neg.
ant. & conseq. quia in eo signo priori neque
datur gratia, neque carentia gratiæ, sed præci-
sum ab utroque, quod sufficit, ut pro eo signo
contritio sit meritoria de congruo, etiā pro
signo posteriori, in quo datur gratia, sit meri-
toria de condigno. Quapropter malè inferunt
Y y y

Ad-

Adversarij, dari in eo instanti gratiam, & carentiam gratiae: nam signum causae neque est signum effectus, sed præcisionis ab utroque. Si-
cuti pro signo, in quo homo est liber ad amorem, & carentiam amoris, neque datur amor, neque carentiam amoris, sed præcilio ab utroque; cùm ergo signum attritionis sit signum causæ meritoriae gratiae, pro eo signo neque datur gratia, neque carentia gratiae, sed præcilio, ut patet in omnibus rebus physicis, inter quas datur prioritas, & posterioritas nature.

221. Ad secundam dist. ant. si datur actualiter attritio, neg. si non detur, conc. ant. & neg. conseq. Quia, si detur attritio, jam dabitur obsequium supernum liberum hominis iusti, quod sufficit, & requiritur ad meritum condignum, sicque obtrinebit majorem gloriam eam, quam præcisè obtineret vi Sacramenti. Si vero tunc non detur attritio, non dabitur tale obsequium, sed solum verum erit dicere, quod homo, qui nunc est iustus, fecit obsequium, quando erat peccator, quod non sufficit ad condigne merendum: neque tener paritas de attritione moraliter perseverante, quæ est sufficiens dispositio ad Sacramentum, quia attritio est sufficiens dispositio modò, quo est à Christo Domino instituta, & ex institutione Christi sufficit actualiter, vel moraliter permanens; cùm autem hoc non sufficiat ad hoc, ut iustus obsequiosè se exerceat, non sufficit ad meritum; aliter per gratiam advenientem condigna fierent omnia merita præcedentia, quod plane est absurdum. Vide Arriag. disp. 56. sect. 5. subsec. 1.

222. Secunda difficultas est, an iustus mereatur de condigne perseverantiam finalem. Resp. cum communi negative. Probat. facile. Deus non admittit opera nostra in ordine ad merendum condigne perseverantiam finalem; immo voluit Deus, ut gratia in nobis sit amicabilis seclusò speciali privilegiò, ut inferrur ex 1. Corinth. 10. *Qui se stare existimat, videat, ne cadat, & ex pluribus aliis Scripturæ, & Conciliorum testimoniis; ergo &c.* Quapropter aliqui judicant, merita puri hominis in nulla providentia posse se extendere ad merendam de condigne moralē perseverantiam, alij vero, ut Ripald. & Arriag. judicant, de facto id esse verum, licet censeant aliter potuisse evenire in alia providentia. Bonaspe vero disp. ult. dub. ult. resolut. 3. singulariter docet, non esse improbatum adhuc in præsenti providentia posse iustum sibi condigne mereri finalem perseverantiam, quæ sententia mihi maximè displaceat, quia testimonia Scripturarum, & Conciliorum explicanda sunt, prout à communi sensu Theologorum exponuntur. Sed locus Scriptura à nobis adducetus, & alia plura ita explicantur à Theologis, ut intelligatur donum perseverantiae non cadere de facto sub meritum nostrum, & esse singulare Dei privilegium; ergo &c. Neque curo quid contingere possit de possibili, cùm hoc plurimum habeat divinationis.

223. Tertia difficultas est, an iustus possit sibi, vel

alteri mereri de condigne reparationem possit. plenum, vel saltem gratiam alteri non peccatori. Ad primum dicitur in Tractat. de Incarnat. purum hominem non posse mereri de condigne adhuc de potentia absoluta, quia exinde lequeretur posse condigne satisfacere pro peccato, quod in schola nostra falsissimum est. Circa secundum verò Resp. cum Ripalda, & Oviedo in alia providentia affirmative. Quia Deus potest in alia providentia dare optionem homini ad explicanda sua merita, ut remunerentur sibi, vel alteri; atqui meritum iusti non minus aequaliter est ad gratiam conferendam ipsi, quam alteri, in quo nulla est in ordine ad causitatem meriti resistentia, qualis non est in non peccatore; ergo &c. Ex quo

Fit 1. Non posse iustum mereri de condigne gratiam peccatori, neque remissionem peccati ratio est, quia peccatum utpote Dei in honore & ratio prævalet merito, ac proinde resistit meriti causalitati; ac proinde, licet possit causare gratiam in subiecto, in quo non est resistentia, non poterit eam causare in subiecto, in quo resistentia reperitur. Sic ignis potest producere molliitatem ut quatuor in cera, utpote nullam habente ad talen effectum resistentiam, & non potest molliitatem ut quatuor in primere in adamante, utpote ad talen effectum resistente.

Fit 2. Posse de potentia absoluta mereri unum alteri de congruo, quidquid sibi potest de condigne; ratio est, quia peccatum non est impedimentum ad meritum de congruo; cum id non exigat aequalitatem, sed solum quendam congruum, & decentem proportionem cum præmio, ut pater in peccatore de congruo merente per contritionem gratiam iustificantem. Fit 3. Posse unum sibi, & in alia providentiam alijs mereri perseverantiam, & alia dona saltem merito improprio per modum impetracionis, ut ex August. de dono perseverantie c. 6. *Hoc donum Dei suppliciter mereri posse, sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest: per ly enim suppliciter mereri saltem intelligi debet modus impetracionis; ergo &c.*

Quarta difficultas est, an possit esse præmum meriti, quod ex natura rei deberur ipsi merito? Resp. affirmativè cum Aldrete, Elpaz, Oviedo, & alijs contra Ripalda, & aliquos Recentiores. Probat. Deus potest præmire meritum eo dono, quod absque ulla indecentia potest non conferre adhuc positò merito; sed adhuc positò merito potest absque ulla indecentia non conferre donum ex natura rei debitum merito; ergo &c. Vide in Tractat. de Incarnat. num. 221. in quo fit absque ulla indecentia ex parte Dei gloriam esse primum debitum gratiae, licet meritum constitutatur per ipsam gratiam, neque obstat, quod Deus possit etiam remunerari conferendò magnam copiam auxiliorum, & bona temporalia, quoniam aliqualiter inserviunt ad salutem, neque de facto ita præmet, cum etiam de facto præmet donum gratiae, & gloriae.

227. Quinta difficultas est, an possit conferri præmium existens prius tempore, quam meritum. Resp. affirmativè cum Ripalda, Oviedo, & aliis contra Lugo, Esparzam. Probat. meritum non solum convenient cum causa efficienti, sed etiam cum causa finali, ut dictum est in Tract. de justitia, sed neque ex convenientia, quam dicit cum causa efficiente in eo, quod moveat, quia est, cum non conveniat cum ea in reliquis requisitis ad causandū: causa enim efficientis non potest causare, quando jā præcesserit, bene verò meritum solum moraliter perseverans, ut patet in Beatis, quando enim animabus Beatorum confertur gloria in præmium, jam præcesserunt actus, quibus eam meruerunt; ergo neque debet convenire cum causa efficienti in eo, quod non existat effectus prius tempore, quam ipsa causa, aliter gratia data antiquis Patribus non fuisset præmium meritorum Christi, quod dici non potest. 2. Ut detur præmium ratione meriti, sufficit, quod meritum moveat, quia est, sive quia absolute prævidetur extra causas pro sua differentia temporis; sed hoc optimè componitur cum eo, quod præmium prius tempore anticipetur; ergo &c.

Objic. Nequit Deus punire hodie hominem inquit peccati absolute prævisi, postea extituti; ergo neque præmiare hodie inquit meriti absolute prævisi, postea extituri. Respondent aliqui 1. neg. ant. quo totum ruit argumentum. Resp. ipse 2. cum Ovied. tom. 5. p. 8. num. 108. neg. conseq. Ratio est, quia Deus in penis infligendis se habet instar creditoris, qui debitum ab alio exigit, & in retribuendis præmiis instar debitoris, qui reddit rem debitam creditori; cuique autem debitori liberum est anticipare solutionem ab ipso alteri faciendam; non autem est liberum creditori solutionem ipsi faciendam anticipatè exigere à debitorum; ex quo fit, Deum quam optimè posse anticipatè præmiare, secus autem ex debito punire.

SECTIO III.

De reviviscentia meritorum.

229. **O**pera hominum alia dicuntur viya, id est meritoria, facta in statu gratiæ, seu vita spiritualis; alia mortifera, id est, quæ morte afferrunt animæ, ut lethalia peccata; alia mortua, id est, quæ nullæ vitæ dignam actionem habent, ac proinde non sunt vitæ æternæ condigna meritoria, & in hoc sensu actus etiam supernaturales hominis peccatoris mortui dici solent, & fides sine operibus mortua est; peccata etiam lethalia strictius dicuntur opera mortua, cum utrumque comprehendant, utpote carentia condigna vitæ actione, & mortem inferentia; sic intelligitur illud Pauli ad Hebr. 9. *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.*

230. Alia verò dicuntur opera mortificata, id est, quæ ab homine per gratiam spiritualiter eliciuntur, & P. Gormaz Theolog. Tom. I.

ciuntur, & vitæ dignam operationem habent, postea tamen eorum vitalis actus, seu meritum per subsequens peccatum impeditur, ideoque tunc ea opera mortificata dicuntur. De his ergo operibus mortificatis queritur, an, & quomodo per subsequentem justificationem reviviscant? de aliis enim, non reviviscere, certum est; nam, cum ab initio vitæ caruerunt, nullam habent vitam, ad quam redeant.

Non defuerunt aliqui, quos suppresso nomine refert Div. Thom. part. 3. quæst. 85. art. 5. absolutè negantes, opera mortificata reviviscere: fundamentum illorum est, quia ea opera non permanebant, ac proinde non poterant ad vitam redire; cæterum isti à reliquis Theologis merito impugnantur, quia, licet ea opera non maneant physicè in se ipsis, manent tamen moraliter, & in acceptatione Dei: non enim opera meritoria non mortificata aliter manent, cum non maneant physicè in se ipsis, sed solum in acceptatione divina; quare, cum prædicta sententia nullo congruo fundamento innaturat, & sit contra torrente Theologorum in re gravissima, omnino rejicienda est, inquit plures cum Oviedo eam notâ temeritatis inurunt.

Affero igitur cum omnibus Theologis videndis apud Ovied. rom. 6. part. 1. num. 3. & Dicastillo de Sacrament. Pœnitent. disp. 2. dub. 2. num. 519. opera mortificata per subsequentem justificationem reviviscere. Probat. 1. ex Ezechiel. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodirebit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & justitiam, vitæ vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor, & cap. 33. Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua, Joel. 2. Reddam vobis annos, quos comedit locusta, & bruchus. Quæ verba de reviviscentia meritorum explicantur SS. PP. acsi diceret Scriptura, reddam vobis mercedem præteriorum operum, quæ locusta, & bruchus vestrorum peccatorum fuo priuaverat præmiis; ergo &c.*

Probat. 2. ex Paulo ad Galat. 3. *Tanta paf-
fi estis sine causa, si tamen sine causa.*

In his enim verbis loquitur D. Paulus cum Galatis lapsis, quidquid alij intendant probare ex Aug. Galatas nondum fuisse lapsos, quando Paulus haec scribebat, quod manifestè constat ex verbis antecedentibus. *O insensati Galatae, quis vos fascinavit, non obediere veritati!* & postea sic. *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consumemini?* deinde verò subdit, *Tanta paf-
fi estis sine causa, si tamen sine causa.* In quo testimonio haec ultima particulae clare significant, non fuisse omnino desperandum præmium passionis, de qua ibi loquitur D. Paul. quod quidem post lapsum non potest aliter esse verum, nisi quia per gratiam restituitur species præmij, quod ante debebatur. Quapropter S. Hieron. apud Dicastil. ait, ex his verbis colligi, quod, quicunque ob fidem Christi labora-

Y y 2

verit

verit, &c postea lapsus fuerit in peccatum, si-
c ut priora sine causa dicitur pauplus fuisse, dum
peccat; sic rursus non perdet ea, si ad pristinam
fidem, & studium revertatur, idemque docent
Chrysost. & Anselmus.

234. Probat. 3. ex Trident. session. 6. cap. 16.
dicens: *Nihil ipsis justificatis amplius deesse
credendum est, quo minus plane illis quidem o-
peribus, quae in Deo sunt facta, divine legi pro-
hujus vita statu satisfecisse, & vitam eternam
suo etiam tempore, si tamen in gratia dece-
runt, consequendam veri promernisse conseruantur.*
Ubi tres inveniuntur conditions requiri, ut op-
era nostra sint meritoria, & re ipsa consequan-
tur suum preium, nimis ut sint opera homi-
nis justi facta ex Deo, sive ex auxilio indifferen-
ti divine gratiae ad libertatem requisito, & quod in
gratia decedat, qui ea fecit, &c, quod maxime
notandum est, ait, nihil amplius deesse cre-
dendum est; atque merita mortificata habent
duas primas conditions, ut per se patet, & ex
vi justificationis recuperant tertiam, cum ho-
mo acquirat gratiam, in qua decedere potest;
ergo &c.

235. Probat. 4. Causa, quae praecise propter ali-
quod impedimentum caret suo effectu, seclusum
impedimentum deber illum habere, sic lapis sus-
pensus in aere fune impeditus ne deorsum fer-
atur, reciso fune, & ablato obice reddit ad cen-
trum; sed merita antiqua per subsequens pecca-
tum tantum fuerunt impedita a suo effectu, qui
est tribuere homini jus ad vitam eternam; ergo
ablato per justificationem peccato sine illo
impedimento debente effectum illum homini
tribuere, in quo constituitur eorum reviviscen-
tia. Probat. min. quia ablato peccato reddit
expedita dignitas meritorum ad preium, & ac-
ceptatio Dei ad illa remuneranda, ut constat ex
testimonijs supradictis, quod solum potest esse
impedimentum, ut statim constabit; ergo &c.

236. Ceterum principia controversia stant, an hu-
jusmodi reviviscientia meritorum ex vi primae
justificationis sit ex natura rei, vel ex misericordia
Dei? prima sententia docet, esse ex na-
tura rei. Ita plures cum Dicastil. lib. 1. n. 590.
Secunda tenet, ex pura Dei misericordia. Ita
Sotus, Durandus, & alij. Tertia defendit, re-
viviscientiam condignitatem stricte sumptae in
actu primo, seu obligantis Deum ad preimandu-
m non esse ex natura rei, sed ex lege Dei. I-
ta Lugo disp. 11. de Poenitent. sect. 1. prae-
cipue a num. 24. & in fine, & hanc judico sen-
tentiam Suarum, ut late videri potest in Opus-
de reviviscientia meritorum. Pro cuius decisio-
ne

237. Affero 2. Merita per peccata mortificata ex
natura rei sufficientia sunt ad reviviscendum
per primam justificationem quoad condigni-
tatem strictam in actu primo. Probat. 1. Ut
merita per peccatum mortificata sint ex na-
tura rei sufficientia ad reviviscendum quoad con-
dignitatem strictam in actu primo, sufficit, quod
fuerint merita facta ab homine justo, qui, quan-

do reddit ad statum gratiae, non habet ea merita
præmiata; sed ad hoc habent ex natura sua
sufficientiam; ergo &c. min. patet, quia ea me-
rita in primis ex se aequalia sunt cum premio
gloriae, & gratiae. Deinde Deus remittens pec-
catum, & infundens gratiam ad primam justifi-
cationem potest hoc præstare, sicuti modis
præstat ex sua misericordia, & non in premio
um aequali præteritorum meritorum; sed in eo
tunc homo, qui elicuit ea merita, constituitur
in statu gratiae, quin habeat ea merita remu-
nerativa; ergo &c. Confirmatur. Per pecca-
tum non amittitur, quia, si Deus pro libi
fuo infundat gratiam, & remittat peccatum,
potest recipere præmium aequali meritis factis
nondum remuneratis; sed in eo stat, quod merita
per peccatum mortificata sint ex natura sua
sufficientia ad reviviscendum quoad condigni-
tatem strictam in actu primo; ergo &c.

238. Probat. 2. Si quando homo reddit ad statum gratiæ, merita antiqua ex se non haberent, posse a Deo condigne remunerari, neque id possent haberere ex voluntate divina; sed certum est de facto
merita antiqua, quando homo reddit ad statum graciæ, & in ea decedit remunerari condigne ex voluntate divina, ut ex n. 223. ergo &c. Prob. maj. si opus ex se non est condignum præmiis, neque potest esse condignum præmiis ex voluntate divina, ut ex num. 206. ergo si quando homo reddit ad statum gratiae, merita antiqua ex se non haberent posse a Deo condigne remunerari, neque id possent habere ex voluntate divina. Confirmatur. Merita non causant præmium ut physicæ existentia, sed solum ut moraliter perseverantia, ut ex num. 221. acque
merita mortificata ex se sunt capacia ad moraliter perseverandum; ergo &c. min. patet, quia ad moralem perseverantiam sufficit, quod fu-
erint facta, & non sint remunerata homini, cui
absolutè possunt condigne remunerari; sed ab-
lati peccato hoc haberent antiqua merita; ergo ex dictis

Fit 1. Quod si Deus educeret de potentia
absoluta ex inferno aliquem, qui habuit anti-
qua merita, & daret illi spatium ponentie,
haberent ejus merita ex natura rei sufficientiam
ad reviviscendum quoad condignitatem stric-
tam in actu primo per primam justificationem,
cum essent merita hominis justi absolutè tunc
potentis condigne remunerari. Fit 2. Ea me-
rita non habere talem condignitatem, dum ho-
mo est in statu peccati, quia, dum homo est in
statu peccati, non possunt condigne remunerari;
illa enim sunt aequalia cum premio gratiae,
& gloriae. Fit 3. cum Cardinal. de Lugo,
quod si Deus per puram condonationem ex-
trinsecum remitteret peccatum secundum ius
ad indignationem, & non secundum ius ad pa-
nam eternam in inferno, de cuius possibili-
tate tractatur in Tractat. de peccatis, tunc me-
rita non adhuc haberent eam condignitatem,
& reviviscientiam; cum præmium gloriae da-
ri non possit cum poena eterna in inferno. Fit

Fit 4. cum Dicastillo, gratiam sanctificantem non exigere ex natura sua carentiam omnis poenae aeternae, sed solum poenae molestae, & doloriferae incompossibilis cum statu gloriae, quam exigit gratia. Ratio est, quia, si datur casus, in quo homo extinctis meritis caret eam gloria, quae illis meritis esset responsura, id illi non esset molestum, quia meritis vel ex natura rei, vel ex voluntate Dei extintis, id fieret secundam rectam rationem, & rerum naturalium, quam reprobare non potest. Beatus. Item gauderet, quod tali modo esset glorificatus Deus, ac proinde carentia gloriae, quae illis antiquis meritis correspondere posset, non esset ei objectum tristitia, sed gaudij modo, quo de facto Deus in penam peccati privat multos pluribus auxilijs, quibus majorem gloriam merentur, quin ea aeterna privatio sit eis in gloria materia tristitia, sed gaudij propter rationem a nobis datum.

Fit 5. Reviviscentiam meritorum quoad efficaciam, qua obligatur Deus ad conferendum premium propter talia merita, non esse debitum meritis ex natura rei; talis enim efficacia constituitur in acceptatione divina, ut ex num. 211. sed merita antiqua non exigunt talern acceptationem divinam ex natura rei; ergo &c. min. pater, quia merita antiqua ad summum possunt exigere acceptationem divinam sublatam omni impedimento; sed absque voluntate Dei non afferuntur omne impedimentum; ergo &c. Confirmatur 1. Si aliquis ita Regem offendat, ut propter offenditam mereatur antiqua merita perdere quoad efficaciam, non potest exigere debita, nisi prius pro offensa Regi satisfaciat, vel Rex pro libitu suo independenter a premio condigno, aliquorum meritorum omnino velit quoad omne impedimentum offenditam remittere; atqui praecisa remissio peccati, neque praecisa justificatio est satisfactio condigna pro peccato, neque ablato omnis impedimentum, cum gratia illa justificans non exigat ex natura sua, quod Deus antiqua merita acceptet; ergo &c.

Fit 6. etiam peccata antiqua esse ex natura rei sufficientia ad reviviscendum per primum peccatum quoad condignitatem strictam in actu primo. Ratio est, quia, quando homo, qui committit antiqua peccata, & reddit ad gratiam, eamque amittit, talis manet, ut, si Deus inferat supplicium antiquis peccatis correspondens, non puniat supra condignum: de eo enim verum est dicere, quod committit peccata, & non sint condigne punita; ergo, sicut merita ex natura sua capacia sunt, ut per peccata mortificentur, & per primam gratiam reviviscant; ita pariter peccata ex natura sua capacia sunt, ut per justificationem mortificantur, & per primum peccatum reviviscant. Quapropter ratio fundamentalis, quare reviviscant merita, & non peccata alia, non est, nisi voluntas Dei, qua decrevit acceptare antiqua merita ad premium, & non acceptare antiqua

peccata ad supplicium, ut constat ex testimonio citat. num. 232. Unde, licet reviviscentia meritorum quoad sufficientiam conveniat ipsis ex natura rei, quoad efficaciam tamen pendet ex mera voluntate Dei.

Objic. 1. contra primam assert. Ezechiel, 18. dicitur, *Si averterit justus se a justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiae ejus non recordabuntur; ergo, sicut ex voluntate Dei non reviviscunt peccata, ita neque reviviscunt merita.* Resp. neg. conseq. quia in illis verbis non negatur reviviscentia meritorum; cum ibi nou sit fieri de iusto peccante, & postea justificationem obtinente, sed de obstinate usq; ad mortem in peccato perseverante, cum de illo statim adjungatur, *In peccato suo morietur.*

Objic. 2. ex Trid. fess. 6. Can. 26. dicente: *Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus, que in Deo sunt facta, exspectare aeternam retributionem a Deo per eum misericordiam, & IESU Christi meritum si bene agendo, & divina mandata custodiendo usq; in finem perseveraverit, Anathema sit.* Atqui ex his verbis colligitur, non deberi praemium meritis, si justus non perseverat in gratia, sed labitur in peccatum, & postea resurgit; ergo &c. Resp. neg. min. quia ibi Tridentin. per perseverantiam non intelligit perseverantiam accidentalem, seu gratiam nunquam interruptam, sed essentiali, scilicet perseverantiam ab ultima acceptione gratiae usque ad mortem, modo, quo a Christo Domino Math. 19. dicitur: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Vide perseverantiam gratiae in Tractatu de justificat. &c.

Objic. 3. Peccata semel remissa non reviviscunt per subsequens peccatum; ergo neq; merita mortificata semel reviviscunt per subsequenter justificationem. Resp. neg. conseq. quia Deus in praesenti providentia ita omnino voluit peccata remittere quoad indignationem, & ius quo ad penam aeternam in inferno, ut per subsequens peccatum non ultrare acceptarentur ad illam indignationem, & punitionem; merita vero per peccatum mortificata voluit iterum ad premium acceptare, quod totum nobis constat ex testimonio citat, num. 232. & ab omnibus fere Theologis in hoc sensu ea testimonia intelligentibus; licet aliter Deus potuisse de potentia absoluta se gerere, ut ex num. 242.

Objic. 4. contra secundam assert. quod omnino mortuum, non haber sufficientiam ex natura rei, ut per primam justificationem reviviscat; atqui antiqua merita per peccata omnino moriantur; ergo &c. Probat. non minus est potens peccatum ad destructionem meritorum praecedentium, quam gratia ad destructionem peccatorum antecedentium; atqui gratia ita destruit peccata antecedentia, ut omnino moriantur; ergo etiam peccatum ita destruit merita praecedentia, ut omnino moriantur. Resp. conc. maj. neg. min. ad prob. conc. maj. & dict.

Disputatio IV. Sectio IV.

640

dist. min. per gratiam se solam, nego, simul cum promissione Dei de non acceptandis iterum peccatis ad indignationem, & poenam æternam in inferno, conc. min. & neg. conseq. quia talis voluntas Dei non datur circa merita, sed omnino contraria, ut cōstat ex n. sup.

247. Objic. 5. Peccatum solum est impedimentum, ut Deus teneatur merita preēmiare, atqui ablatō peccato tollitur impedimentum; ergo ablatō peccato teneat Deus antiqua merita preēmiare; ac proinde non solum quoad sufficiētiam, sed etiam quoad efficientiam ex natura sua reviviscunt. Confirmatur ex regula justitiae, si creditor inferat debitori suo aliquod dānum, & si debitor refinere possit debiti solutionē, usque dū dānum illud resarcitur, vel ab ipso omnino gratis sine ulla ratione compensatio nis debiti antiqui remittatur, eo ipso redit obligatio prioris debiti; ergo idem dicendum est in nostro casu. Resp. dist. ant. est impedimentum adæquatum, nego, inadæquatum, conc. maj. & distincta min. neg. conseq. quia ultra peccatum etiam carentia acceptionis divinae est impedimentum, ut Deus teneatur preēmiare antiqua merita. Unde, licet tollatur peccatum, si non tollatur carentia divinae acceptionis, nondum tenebitur Deus antiqua merita preēmiare.

248. Ad confirmationem dist. maj. redit obligatio, si obligatio pendeat ab acceptione debitoris, neg. si non pendeat, conc. antec. neg. conseq. quia, si ea obligatio pendeat ab acceptione debitoris, potest remittere peccatum nolendō addere remissioni novum illum favorēm antiquae acceptionis, & tunc cessaret obligatio. Imò, ex eo, quod ipsa remissio possit esse condignum prēmium ante novum meritum, posset contingere, ut peccatum remitteretur, quin antiquis meritis correspondere prēmium, quod ante corresponebat. Quapropter merita antiqua non possunt habere ex natura rei, quod physice ablatō peccato reviviscant ad eandem condignam efficaciam, quam ante habebant.

SECTIO IV.

An merita quoad totum, vel solum quoad partem reviviscant?

249. **P**lures sunt sententiæ. Prima docet, merita non reviviscere ad prēmiū gratiæ, & gloriæ essentia, sed solum ad accidentale: quatenus de illis meritis ante peccatum factis habebit Beatus peculiare gaudium. Secunda tenet, merita reviviscere ad prēmium essentiale moraliter in ratione prēmij, non verò physice in ratione entitatis. Fundamentum est, quia dum homo justificatur, non recipit entitativē majorem gratiam, quam reciperet, si merita non reviviscerent, sed recipit eandem gratiam intuitu dispositionis ad justificationem, & in-

tuitu antiquorum meritorum. Cæterum illa duæ sententiæ communiter rejiciuntur, & merito à Theologis. Ratio est quia re ipsa non admittit revivisceriam meritorum, quam huius auctoritas, & clamans PP. ut constat ex dictis; ergo non sunt admittendi.

Tertia defendit: merita in integrum reviviscere, quando homo se convertit per summam contritionem, quam cum auxilio gratia collato potest elicere, ita, ut modò, quo contrito deficit à summa, deficiant & merita à tali reviviscencia. Ita Sotus, & alij. Quia propugnat, merita reviviscere ad menturam dispositionis, qua homo justificatur, v. g. si homo disponitur per contritionem ut quatuor, conferuntur quatuor gradus novæ gratiæ, & quatuor antiquæ. Ita Joannes à S. Thoma, & alij. Quinta cūtetur, ita reviviscere mentia ad mensuram dispositionis, qua homo ad justificationem disponitur, ut, si elicat dispositionem ut quatuor, conferatur nova gratia ut quatuor, & pro quoconque merito mortificata gratia ut quatuor etiā: quapropter, si merita antiqua essent tria, conferrentur ultra quatuor gradus gratiæ novæ 12 gradus gratiæ antiquæ. Ita Alvarez, Gonnet, & alij Thomistæ, qui addunt, gratiam non statim conferi, sed vel quando homo elicit intensam dilectionem, vel in instanti mortis, aut glorificationis. Hæc ultima pars impugnata est à num. 132. Sexta sententia contra omnes precedentes docet, merita in integrum reviviscere, ita, ut præter gratiam dispositionis perducant hominem ad tantam gratiam, & gloriam, ad quantum perducere essent, si nunquam peccato interupta fuissent; ita communiter Theologi cum Sua-

rio.

Affero 1. cum ultima sententia: merita per peccatum mortificata, per primam justificationem in integrum reviviscunt. Probat. 1. Scriptura, Concilia, & Patres suprā citari num. 232 absolvit, & absque ulla limitatione docent, merita reviviscere, nullaque efficiuntur limitandi ad unicam partem tantum, & non ad integrum prēmium recuperandum; ergo &c. Confirm. Trident. citat. num. 236. tis tantum conditiones requirit, ut opera nostra obtineant suum prēmium, nimirum, ut sint opera justi, ut in Deo, sive in auxilio gratiæ sint ita, & ut operans ex hac vita in gratiæ decedat; atqui istæ tres conditiones infundunt meritis mortificatis, quæ reviviscunt per justificationem eorum, qui in gratia decidunt; ergo talia opera mortificata ad integrum prēmium reviviscunt.

Probat. 2. Reviviscere nihil est aliud, quin primam vitam recuperare; atqui, si merita antiqua non habent primum valorem, sed alium inferiorē, non recuperant primā vitā, sed partem primæ vitæ; ergo adæquatè reviviscunt. Confr. Eatenus in hac lege Dei requiriunt dispositione ad justificationem, ut merita reviviscant, quatenus requiriunt gratia, quæ tollat impedimentum.

mentum ad reviviscientiam, nempe peccatum; at qui quævis ultima dispositio ad justificacionem, et si remissa, sufficiens est, ut detur gratia, ut tollatur impedimentum, nempe peccatum; ergo sufficiens est, ut in integrum mortificata merita reviviscant.

253. Quæres tamen, an per justificationem restituatur non solum gratia habita ex meritis, sed etiam habita sine illis virtute Sacramentorum? Affer 2. cum Suar. & communis Theologorum contra Vasquez, & alios: non solum gratia habita ex meritis, sed etiam gratia habita virtute Sacramentorum recuperatur per primam justificationem. Probatur 1. ex Script. Concil. & Patrib. constat, hominem justificatum interius renovari, & recuperare primam stolam, & gratiam; sed nulla est ratio ad limitandas istas locutiones ad gratiam habitam ex meritis, & non ad gratiam habitam etiam virtute Sacramentorum; ergo &c.

254. Probat. 2. ex testim. cit. num. 232. clare constat, Deum non recordari peccatorum impij quoad tollendum ab illo præmium gratiæ, & gloriæ; in quocunque die convertatur ad Dominum, & quod impietas impij non nocebit ei in ordine saltem ad præmium, quod ipsi correspondebat; at qui, si non restitueretur ipsi gratia habitata virtute Sacramentorum, impieras illi ad hoc munus noceret; ergo &c. Confirmatur. Non minus datur ex meritis Christi ut suscipienti rite Sacramentum applicatis gratia, quæ confertur ex opere operato in Sacramento, quam detur gratia ex opere operantis, ex virtute meritorum, & non minus est obex, & impedimentum peccatum ad gratiam habitam ex meritis, quam ad gratiam habitam virtute Sacramentorum; at qui ex promissione divina decernente, quod impietas impij non nocebit illi, in quocunque die justificetur, recte inferimus, per primam justificationem acceptari ejus antiqua merita ad præmium gratiæ, & gloriæ; ergo etiam debemus inferre acceptari merita habitata virtute Sacramentorum, ut ipsi applicata ad præmium gratiæ, & gloriæ; ergo &c.

255. Objic. 1. contra primam assert. ex Trident. gratia confertur juxta uniuscujusque dispositiōnem; ergo etiam recuperatur juxta uniuscujusque dispositiōnem; at qui dispositio remissior non est sufficiens dispositio ad gratiam intensam; ergo, qui ad justificationem disponitur remisso, non recuperabit totam intentionem gratiæ, quam ex meritis habebat. Resp. dist. maj. juxta uniuscujusque dispositiōnem, sive physicæ, sive moraliter perseverantem, conc. semper physicæ perseverantem, neg. ant. & dist. conseq. physicæ perseverantem, nego, moraliter in acceptatione divina, conc. conseq. Sic, qui accedit ad Sacramentum cum attritione solum moraliter perseverante, recipit gratiam; cum ergo dispositio antiquæ, quibus homo se disponit, ad antiquam gratiam, perseveret in acceptatione divina, ut acceptentur casu, quo homo ad gratiam redeat; exinde sit, recuperata

ri gratiam juxta uniuscujusque dispositiōnem. Hinc ad min. subsumpt. dist. min. non est sufficiens ad gratiam intensam solum propter ipsam conferendam, conc. conferendam positam propter alias dispositio[n]es moraliter in acceptatione divina perseverantes, neg. min. & conseq. ut constat ex dictis. Quanto autem tempore possit moraliter contrito, ut quis accedit ad Sacramentum, diximus in Tractatu de Pœnitentia.

Objic. 2. Si rora gratia integra rediret, pœnitentis resurgeret à peccato cum majore gratia, & minore jure ad gloriam, quam ante lapsum habebat; cùm ultra gratiam antiquam daretur gratia præsenti contritioni correspondens, sed hoc est absurdum, incredibile enim est hominem, qui diu fuerat in mortali, statim per contritionem restitui in tantam, & majorem amicitiam cum Deo, quam antea diuturno labore comparaverat, est etiam contra rectam rationem, quæ exigit, ut, qui alterum injurijs afficit, non redeat conseltim in eandem omnino benevolentiam, & gratiam antiquam; ergo &c. Resp. conc. maj. & neg. min. imò valde miror, hoc ab Adversariis appellari incredibile, & contra rectam rationem, quondam ex Script. Concil. & PP. & loc. suprà cit. legitimè infertur. Unde potiori jure nos contrarium, & contra rectam rationem, & incredibile judicabimus; quin imò, si offensus vult aliqua merita acceptare, & totam pristinam amicitiam restituere, ex quoniam capite id repugnabit? quomodo id faciens non erit laude dignus? quomodo de Deo id promittente, & adeò misericorditer nos diligente, id erit incredibile? quomodo hæc tam laudabilis erga nos divina beneficentia esse poterit contra rectam rationem?

Objic. 3. Ex nostra sententia sequitur, minuti timorem peccandi, & homines reddi faciliores, & procliviores in peccata. Ex ea enim persuasione, quod per primam justificationem recuperabunt merita, facilè committent quocunque peccata; ergo ex hoc solum capite nostra sententia erit rejicienda. Confirmatur ex D. Hier. relato à Gratiano cap. quicunque dist. 56. sic dicente: *Quicunque dignitatem divini gradus non custodiérunt, contenti fiant, animā salvare, reverti enim in pristinum gradum difficulte est; ergo &c.* Resp. neg. ant. Ea enim species non impedit, ne homines possint degere statim, arque peccatum comiserunt, quin gratiam reciperent, quodque in æternum damnentur; quomodo ergo species illa sufficiens erit ad peccandum.

Ad confirmationem neg. conseq. quia ibi D. Hier. non negat reviviscientiam meritorum, sed facilitatem acquisitam ab actibus præcedentibus; quando enim homo amittit gratiam, & totum se tradit virtijs, acquirit habitus vitiosos, & perdit habitus acquisitos virtuosos; per justificationem autem non amittit habitus acquisitos virtuosos; cùm isti non opponantur cum gratia, neque cum meritis, ut patet evidenter in

di

256.

257.

258.

642. Disputatio IV. Sectio III. An merita quoad totum &c.

Gentili, qui, quando baptizatur, adhuc experitutur facilitatem in se, & inclinationem redeundi ad antiqua vita; cum enim illi habitus acquisiti non sint peccata, licet sint peccata actus ab illis eliciti, gratia habitualis non opponitur cum illis habicibus, licet opponatur cum illis actibus. Quapropter, cum homo per primam justificationem non redeat ad pristinam facilitatem, & inclinationem bonam ad actus, idcirco redire ad pristinum statum difficile est: hoc autem quam optimè componitur cum reviviscentia ad integrum meritum. Vide aliam solutionem apud Martinum Perez de Poenit. disp. 12. sect. 4.

259. Objic. 4. contra 2. assert. Gratia habitualis vi Sacramentorum accepta ex opere operato independenter à meritis non potest restituiri propter merita; ergo debet restituiri ex sola voluntate Dei, sed talis voluntas non constat ex Scriptura PP. vel ratione; ergo &c. Confirm. licet merita Christi cauient gratiam, ut applicata rite suscipienti Sacramentum, non sunt necessitata ad cauandam iterum eandem gratiam in illo, qui post lapsum resurgit, ac proinde solum possunt eam cauare ex voluntate divina; ergo ex eo, quod talis voluntas divina nobis non constet, dicendum est, illam gratiam per primam justificationem non cauari. Resp. concessò antecedenti, nego conseq. quia restituitur ex vi Sacramentorum moraliter perleverantim in acceptatione divina pro casu justificationis, ut ex num. 253 ad eum modum, quo, quando adulterus recipit Baptisma sine sufficienti dispositione, non recipit gratiam, quoad usque disponatur; posita autem sufficienti dispositione suscipit gratiam non quidem ex sola voluntate divina, sed etiam ex vi Sacramenti moraliter perleverantis in acceptatione divina. Ad confirmat. neg. suppos. consequentis: nam falsò supponitur, non constare nobis saltem probabilitate de voluntate divina acceptante merita Christi, ut fuerint applicata rite suscipienti Sacramentum ad munus causandi eam gratiam amissam, quando homo primo justificatur, ut ex num. 254.

260. Objic. 5. Licet gratia habitualis per Sacramentum accepta non restituueretur per primam justificationem, non privarentur Sacramenta suo fine, cum adhuc conferret Deus auxilia opportuna ad finem intuitu Sacramentorum illorum; ergo non est necessitas admittendi reviviscentiam talis gratiae. Confirmatur. Licet gratia accepta ex meritis tollatur in poena peccati, gratia tamen accepta virtute Sacramentorum non tollitur ut poena peccati, sed tanquam effectus secundarius necessariò subsecutus pec-

carum; ergo, licet in prima justificatione restituatur prima gratia, que accepta fuerat ex meritis, non debet restituiri gratia, que accepta fuerat virtute Sacramentorum. Resp. neg. antea quia finis Sacramentorum non solum iuri gratiae auxiliantes, sed principaliter gratia habitualis; imò præcipiū finis inferendus est ex voluntate divina, ex qua, ut ex dictis constat, inferimus, Deum velle in prima justificatione restituere gratiam, que virtute Sacramentorum fuerat accepta. Ad confirmationem neg. antea. Utraque enim gratia habitualis afferatur in penam peccati; imò, quod afferatur in penam, non est ratio, ex qua inferenda est illius relictio, sed ex voluntate divina volente pro causa acceptare causam gratiae moralem, five merita Christi, five merita propria. Unde inferes, quomodo merita Christi nobis in Sacramento applicata non cauulent gratiam infinitam, quia solum cauulant gratiam, prout à Deo acceptantur ad eam cauandam, & non acceptantur ad causandam gratiam infinitam.

Objic. 6. Prima gratia, quae data fuit peccatori fe præparanti extra Sacramentum ad justificationem media contritione, non recuperari, cum illa contritio utpote solum meritoria de congruo non reviviscat, meritum enim de congruo in peccatore est opus mortuum, quod nunquam habuit vitam; cum autem id, quod nunquam habuit vitam, reviviscere nequeat, contritio reviviscere non potest; ergo per primam justificationem non restituitur homini tota gratia antiqua. Resp. cum Suar. disp. 2. de reviviscent. meritorum sect. 3. num. 57. neg. antea. quoad primam partem, & redditionem, quia explicantur cæteræ partes. Illa enim contritio pro signo priori ad gratiam non erat vitalis, sed de condigno meritoria præmij superi; venit neque erat mortua, sed in eo signo ab utroque præscindens; pro signo autem leuenti, cum jam esset meritoria de condigno præmij superi, nempe gloria, jam erat viva, ut late ex dictis constat num. 74. & 218.

Quapropter, cum ea contritio confiteretur viva ad gloriam per ipsam gratiam, ut ex ibi dictis constat; restituenda eriam est illa gratia, demque dicendum est de attritione phyle exstante, quando recipitur Sacramentum, & infunditur gratia, ut constat num. 221. Ex quo inferes, alia merita congrua non reviviscere, quia nunquam fuerint opera viva, eò quod nunquam habuit vitam, reviviscere non potest. Videatur Martinus Perez disputatione 12. de Poenitent. sect. 6. Et hac pro toto Tr. Etatu de merito dicta sunt.

satis.



TRA